


(Tomo Unico)





Paulus iiij. Pont. Max. grauissimus Christianæ pietatis eiusq; sincerioris cultus assertor atq; restaurator,
Card. Sirlet. ad Icon. Pauli.

DE VITA PAVLI QVARTI PONT. MAX.

COLLECTANEA HISTORICA:

OPERA ET STVDIO ANTONII CARACCIOLI CLERICI REGVLARIS CONQUISITA, DIGESTA, ATQUE EDITA.

Item

CAIETANI THIENAEI,
BONIFACII A COLLE,
PAVLI CONSILIARII,

Qui vnà cum PAVLO IV. *tunc Theatino Episcopo, Ordinem Clericorum Regularium fundauerunt,* VITAE, *ab eodem auctore descriptae.*



COLONIÆ VBIORVM,
Ex Officina Joannis Kinckij, M. DC. XII.

D. JOANNES ANTONIUS Angrisanus Congregationis Clericorum Regularium Præpositus Generalis.

QVæ de gestis sanctæ memoriæ PAVLI IV. P.M. Caietani Thienæi, Bonifacij à Colle, & Pauli Consiliarij, qui nostrum Ordinem fundauerunt, P.D. Antonius Caracciolus Clericus Regularis scripsit, iam aliquot nostri Ordinis Patrum calculo probata, potestatem facimus, vt prælo committantur. Datum Romæ, Apud S. Siluestrum in Monte Quirinali, Die 24. Mensis Augusti. M. DC. XI.

D. Ioan. Antonius Præpositus Generalis.


D. Jo. Baptista Aprilius Secretarius.

SAN-

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI ET D.N.
PAVLO QVINTO
PONT. MAX.
ANTONIVS CARACCIOLVS Cl.R. sempiternam felicitatem.



Væ de nostri Clericorum Regulariũ Ordinis primæuis Patribus, eximiis certè Viris, vtcunq; delineauimus, Tibi nunc lubens meritò, consecro, dedico, siue potius nominis Tui eximio splẽdore exorno, Pater Patrũ PAVLE Beatissime. Multa quippe sunt, quæ id facere suadent, imò officij quodam iure deposcunt. Primùm quòd Tu is es, qui Pauli IV. Sanctissimi Pontificis, & nostri Ordinis Augustissimi Conditoris & nomen & potestatem obtines Apostolicam. Deinde, quòd profectò exigunt multa ac præclara Tua in nos omnes merita, vt quicquid propemodum à quouis nostrum luce aliquâ dignum proficiscitur, id omne ad sacram istam Lucẽ Tuam, veluti ad Solem radius referatur. Iam illud prius quotiescunq; considero, prudenti simul & grato cõsilio abs Te factum arbitror, vt Pauli no-



men potissimum sumeres; scilicet, vt ea quasi tessera significatum intelligeremus, successisse Te non solùm PAVLO PAVLVM, aut Quarto Quinctum, verumetiam Præsuli integerrimo, Sacratissimo Principi, Virtutum omnium eximio exemplari. Et dignitatis quidem primordia prorsus similia vtriq; fuêre. Quippe sicut ille è Supremo Hæreseos Quęsitore, cuius Tribunal, vt in Vrbe à Paulo III. statueretur, ipse olim fuerat primus auctor, factus est Summus Christianorum Pōtifex: ita & Tu, B. P. ex eiusdem Magistratus Sigillifero, euectus à Deo fuisti ad celsam istam & principem B. Petri Sedem. Benè factum. Fidei Cathedram illi per Summum honorem diuinitùs adepti sunt, qui eiusdē integerrimi vindices ante extiterant. Cętera multa & varia, quæ cōparatio hęc suggerit, non prosequar: laudare enim Te opus esset, cuius virtus ita cum modestia coniuncta est, vt æquis auribus laudē ægrè admittas. Ea igitur abstineo. Interim verò Paulus ille noster, qui Te & nomine & numine præcurrit, lætari propemodū mihi videtur, quòd Te filio M. Antonij, cuius Eruditionem, prudentiam, probitatem maximi semper fecit, Te inquā, Orbem pacatissimè moderante, ipse promeritæ laudis lucem, quam liuor


infu-

infuſcauerat, iam tandem aliquãdo recipiat. Itaq; hæc ſingula nos Pauli IV. alumnos ſupra mortales cæteros extimulant, vt Te, *B.P.* quaſi alterum noſtrum parentem Paulum, obſeruantiſſimè veneremur, Tibique pium fidumque obſequium, vnâ cum hoc, quẽ damus libello, alacriter offeramus. Accedit ratio altera, quæ nos ipſos propius tãgit, iſta ſcilicet Tua erga nos ſingularis munificentia, & verè paterna charitas. Duas in Vrbe noſtri Ordinis Domos, familiaſque, penè aſſiduis alimentis foues, rerum noſtrarum, quà publicè, quà priuatim, adeò ſatagens, vt Supremi mortalium, & cõſpicui Eccleſiæ Capitis prouidentiam nobis contemplari liceat, &, quod ſatius eſt, experiri. Et debebitné igitur Ordo iſte Clericorum Regularium Romæ ortus, in Æde Principis Apoſtolorũ Summo Numini conſecratus, Chriſti Vicario proximè ſubiectus, aliò per me ducere hos ſuos Patres, quàm ad Te Vrbis atq; Orbis ſacratiſſimum Principem, Chriſtiq; in terris vices ampliſſima auctoritate gerentem? Hi certè Quatuor Viri quorum nunc geſta aliquot poſteris imitanda deſcribimus, ſua ſponte huc veniunt *B.P.* Agnoſcunt enim Vrbem, quam ipſi ſuperiore ſæculo omnium primi Religioſo Clericorũ inſtituto decorauerũt.

Agnoſcunt Vaticanam Aram, ad quam ſeſe Chriſto ſpiritales victimas exhibuerunt. Agnoſcunt primariam iſtam Cathedram, è qua Sanctiones Ritusq; noſtri lucem, decus, firmitudinem acceperunt. Agnoſcunt deniq; hos Colles, hæc Mœnia, Fora, Vias, Templa, Domos, quæ in illa potiſſimùm immani clade Borbonica, inter furẽtium prædonum barbariem, ipſorum orationibus, gemitibus, cohortationibus, obiurgationibus reſonuerunt. Tunc quippè noſtros Patres, inque iis præcipuè Epiſcopum Theatinum, Chriſtianam tolerantiam, atque in retinenda Catholica fide & Caſtitate conſtantiam Viris feminiſq; Romanis, aut Romæ incolis prędicaſſe, non vno nobis teſte compertum eſt. Noſtros igitur hos Patres ad Vrbem redeuntes, ad Te Summum in terris Patrem accedentes excipe Beatiſſime Pontifex grato animo & fronte hilari, vt ſoles pia omnia munera, aut homines pios; meque in iis Tuam Pontificiam Maieſtatem religioſè ſuſpicientem, & pedes iſtos Sanctiſſimos exoſculantem benignus aſpice. Denique huic libello, paucis meis verbis, multis aliorum factis, egregiiſque referto, quæ Tua eſt pietas, dignitas, auctoritas, faue. Romæ VIII. Kalend. Sextileis. M.DC.XL.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO, DECIO CARAFÆ S.R.E. Cardinali.



CITVM illud est; Prudentis viri partes sunt, non solùm quò, sed etiam quâ tendat, cogitare. Inscripseram Sanctissimo D. N. Paulo V. P. M. hunc libellum, Summo virorum infimus. Restabat gradum reperire quo ad culmen illud pertingerem. Ecce autem (commodùm) Tu Illustrissime Domine occurristi, vtpote qui iam olim virtute par Summis, factus es nuperrimè etiam dignitate Christi Vicario proximus. Gratulor Tibi itaque de sacra hac purpurâ, Carafæ Stirpis eximio & ferè iam perpetuo ornamento; nec tuo solùm sed & publico nomine gratulor; accessisse scilicet Tibi auctoritatem amplissima infula, quæ virtutes tuas ornet, firmet, & Reipub. Christianæ bono in latum exerat campum. Macte animo Vir Illustrissime: splendorem ex apice isto, veluti ex altiore cælo, proborum operum radiis, atque insignium exemplorum influxu terris communica. Interim ego supplex oro, vt per Te potissimum Paulus reddatur Paulo: quippè per aliũ non equidem velim aut debeam; sic tua benignitas nos, & nostra omnia ad se inuitat atque adeò trahit. Vt nunc taceam Magnum illum Paulum Carafam, non alium optare comitem quàm Te gentilem suum, & nostri Ordinis à se instituti præsidium & fautorem. Eat igitur, te duce, libellus iste ad Apostolicam Sedem; &, te vindice, lucem aspiciat tutus. Illustrissime & Reuerendissime Domine, opto & voueo vt perpetuùm valeas, ac floreas. Romæ VI. Kalend. Septemb. M. DC. XI.

AD LE-

AD PAVLVM QVARTVM PONT. MAX.



QVantus refusis Oceanus pater,
Qui turbulento sufficit atheri
Vndis: auaros quiq; terræ
Perpetuo rigat imbre tractus,
Quiq; inquietis motibus eminet;
Tantus Carafæ nominis inclytum
Lumen refulsit Paulus: Orbi
Consuluit sapiens, Tribunal.
Dum deuianti constituit: Fidem
Istud per Vrbes vindicat Italas:
Infidus hoc Maurus, rebelles
Hæreseωn trepidant Phalanges.
Deuota cœlis inseritur manus,
Quam Clericorum consociauerat
Norma: Theatini verendi
Ordinis & Pietatis Auctor.
At nostra nullo Musa libentior
Gestit coronas nectere nomine,
Quàm pœnitenti ° quod Britanno
Iura, fidem, veniam dedisti.
Lapsum misertus; Quæ violaueras
(Dixti) resumas Anglia fœdera:
Agnosce Romam; sed salutem
Tu meliore fide teneto.
O Paule, fluctus in mare nos ferunt
Infame rursum: maxime Præsulum
Adsis: potens succurrat, aucta
Dextera Cœlituum fauore.

A. T.

° Eo ipso die, quo Paulus IV. Summum Pontificatum iniit, peruenerũt Romam Oratores Anglici, vt nomine totius Regni, diuturni & atrocis Schismatis veniã peterent, quos ille benignissime excepit & honorifice habuit. Vide Adrianũ, Histo. lib. 13. Sander. de Schis. Anglicano. & Ant. Cerr. Ode 5.

DVO

DVO HÆC EPIGRAMMATA *à magno illo* SIRLETO, *alterum in viuentem* PAVLVM, *alterum in mortuum, scripta fuère. Ea inter schedas nostri* GREGORII FLORELLII *Græcè periti reperta nuper, vnà cum* PAVLI *eximijs gestis lucem aspicere volui.*

ΤΟΥ ΣΟΦΩΤΑΤΟΥ ΚΑΙ ΕΝΔΟΧΟΤΑΤΟΥ ΙΛΕΡΜΟΥ ΤΟΥ Σιρλήτου, Καρδιναλίου τῆς Ῥώμης, εἰς Ἀρχιερέα τὸν μέγαν, Παῦλον τέταρτον, ἐπιγράμματα.

ERVDITISSIMI ET CLARISSIMI GVLIELMI SIRLETI, Cardinalis Romæ, in Summum Pontificem, PAVLVM IV. epigrammata.

PRIMVM.

Θεῖε πάτερ, γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος
Σκῆπτρον ἔχων, Ἀΐδαν ὁ κρατερὸν δάμασας
Κλῦθί μευ εὐχομένου, καὶ ἀεικέα οἶταν ἄλαλκε,
Ἥ μουσάων μ' εἴργει, καὶ ἱερῶν σελίδων.
Ὡς δέ τε Καραφίων γενεὰν κλυτὰν, αἰὲν ἄνακτας
Κόσμος ἔχοι, μεγάλων ἔκγονα σῶν ἀρετῶν.
Σόν τε κύοι σεμνὸν πόδι ἀτάσθαλα ἔθνεα Κύμβρων,
Ζώῃς τ' ἐς πολλοὺς ἠελίοιο κύκλους.
Ἀλλ' ἄνα μή με ἔα πενίης τείρεσθαι ἀνάγκῃ,
Νόσφι τε Πιερίδων δεινὸν ἔχοντα βίον.

LATINE.

Alme Pater, cæli terræq; potenter habenas
Qui regis, atque Orci regna superba domas:
Me precor exaudi, duramq; repellito sortem,
Qua mihi cum Musis pagina sacra iacet.
Carafiæq; domûs habeat stirps inclyta reges
Semper, virtutis diua propago tuæ.

** *Dentq;*

Dent q́; tuis sanctis pedibus, gens barbara, Cymbri
Oscula, & in Pylij tempora viue senis.
Sed rex, ne patere vt miserum me affligat egestas,
Et procul à Musis vita sit agra mihi.

ALTERVM.

Τοῦγε τετάρτου ψυχὴ Παύλου Ἀρχιερῆος
Ἤρθη Ὄλυμπον ἐπὶ χερσὶ θεῶν μακάρων.
Τόνδε λίπ' οὐκ ἀέκουσα βίον στονόεντα βροτοῖσιν,
Ἀτρεκέος ζωῆς ἀὲν ἱεμένοις.
Ἣν ποθέεσκεν ἔχει ζωὴν αἰώνιον, ἐκτὸς
Κόσμου, καὶ δεσμῶν σώματος ἀργαλέου.
Ἦ μὲν δ' οὐρανίοις κεχαρισμένος ἀθανάτοισιν,
Ἡμῖν δὲ στοναχὰς θῆκε Νικητὰ φίλε.

LATINE.

Pontificis Quarti migrans è corpore Pauli
Spiritus, Angelica est vectus in astra manu.
Excessit q́; lubens tristi mortalibus aeuo,
Vita qui vera gaudia semper amant.
Cuius erat cupidus, fruitur nunc perpete vita,
Exemptus mundo, corporis atque iugo.
Ille quidem cœlos adijt, Niceta, Beatis
Carus, at hic nobis factus vbique dolor.

A. T.

R.P. AN-

R. P.

ANTONIO CARACCIOLO,

VITAM

PAVLI IV. PONT. OPT. MAX.

ET

THEATINI ORDINIS RELIGIOSIS. FVNDAtoris eruditè ſcribenti,

Carmen Syncharisticon.



RGO iterùm ille tuus, diuina conſcius aura,
Cognatusq́; polo, mortalia ducit in ora
Spiritus, auguſta iam didita nomina Fama
PONTIFICIS PAVLII quo dudùm ciue ſuperbit,
Attonitumq́; trahit generoſa Neapolis orbem?
le tuos caſtà formatos mente THEASDAS
populos duxit, veterisq́; ab origine norma
ſtituit Latio primus; quem deindè ſecuti
aſtantes virtute alij. ſuper inuida nigri
Mœnia Cocyti validum fixère tropæum.
e renaſcentes, & in omni parte veneni
argentes monimenta ſui, virtute ſubegit
ereſcun peſtes; velut olim Alcmenius Heros
otem colla nouis toties animata figuris
que premens rabida compeſcuit ignibus Hydra.
e labaſcentem iuſtis ſub legibus Orbem
mpoſuit ſapiens: & quà ſe Phœbus ab vnda
Manè leuat, quà ſe diffuſo veſpere condit,
rorum nebulas, & inania monſtra fugauit.
lix ille tamen meritis ingentibus æquum
ctus Mœoniden, cuius venientia ſæcla
genio factura fidem, nil vilibus vltrà
cedit Tabulis, quas dira Calumnia tabo
buit, & toto liuor fœdauit Auerno.

IVSTI RYKCI Gandenſis.

ROMAE IIX. Kal. IIXbres M. D. XI.

AD LECTOREM.



ETERES, mi Lector, quatuor nostrates Patres, ecce hic damus, quos inter alios sanctè vixisse, sanctius obiisse constans apud plerosq; fama est. Quòd vero comminutos eos vides, auiq; dente tàm miserè detritos, vix vt hominum vestigia nosse queas, ne meæ id negligentiæ attribuas, sed potius existimes velim, infestum probitati seculũ & nostratiũ domestica laudis incuriosa ingenia, vix pauca, & fracta ossicula de tantorum virorũ mole posteris reliquisse. Et tribus quidem ceteris id euenisse Patribus nõ adeò mirum est: quandoquidem ij, etsi multa in luce hominum luce ac laude digna patrarunt, maximam tamen vitæ partem, Deo tãtùm & Angelis testibus transegerunt. At quod Carafæ nostri tot præclara gesta tenebræ obsederint, iustius conquerimur. Vixit enim Vir ille annos quatuor supra octoginta; neq; porrò ex ijs ignauis senibus fuit, qui, *vt Seneca inquit,* a nullum aliud habent argumentum, quo probent se diu vixisse præter ætatem; *Sed in tam longo vitæ eius decursu excelsam virtutem, ingentemq; animi magnitudinem paribus fermè gestis, hoc est, in Christianam Rempub. eximiis benefactis ostendit. Nihilominus de tam longæua, de tam varia, de tam fœcunda insignium actionum vita, vix ea, nec quidem omnia, quæ Summus Põtifex gessit, posteri aliquot nunc scimus: alia autem & multa & magna, quæ à pueritia ad decrepitam vsque ætatem, Scholasticus, Sacræ Aulæ Cubicularius, Episcopus, Internuntius, Regio Sacello Præfectus; mox, abiectis dignitatibus fortunisq; omnibus, Regularis Clericus; rursusq; ad Ecclesiæ gubernacula per vim tractus, Cardinalis, & Cardinalium primus dixit, scripsit, iussit, decreuit, fecit, nemo omnia, vix quisquam de plurimis pauca meminit aut noscit. Itaque ego, cui post eruditos Viros Robertellum, Flauium, Foliettam, qui vitam Pauli IV. scribere occœperant, (vt Onuphrium omittam, qui variè nec plene narrauit) tanti Pontificis gesta litterarum monumentis consignanda sunt, longè equidem maiorem laborem experior in perquirenda & colligenda adeò dispersa segete, atque à mendaciorum calumniarumq; lolio & quisquilius secernenda, quam in publicum memorabilium exemplorum horreum, vt humani generis bono perpetuò prostent, inuehenda. Etsi enim*

a lib. de Clemen. ca. 3.

(vt

(ut mihi grauissimi testes retulère) multa quæ ille de reformanda Vrbe atque Orbe, de ratione profligandarum hæresum, de componẽdis Regum discordiis, de sanciendis in generali Concilio fidei morumq́ legibus, doctè sapienterq́ lucubrauerat; multa vicissim, quæ de eius laudibus alij non obscuri Scriptores adnotauerant, in Caroli, aut Alphonsi Cardinalium scrinijs, ut in tempore promerentur, reposita fuerant, in ea tamen funesta Carafiorum clade, qua illustrissimæ illius Familiæ proceres de improuiso capti, & in carcerem coniecti sunt; tunc scilicet cùm grandis ille torrens à vertice affluens propinquam Pauli stirpem radicitus penè conuulsit, pars à Prætorianis lictoribus rapta, dissipata, dilacerata sunt, pars verò in alienorum manus deuoluta miserrimè perierunt. Ea igitur insignium monumentorum calamitas in causa est, Lector, ne opus tibi integrum, sed eius veluti specimen gustumq́ exhibeam, isthæc videlicet pauca solummodò, quæ vides. Porrò, cum hinc ij, quibus obedire debeo, instarent, ut hos quatuor Patres è tenebris erutos luci darem, illinc verò è Carafiorum naufragio dispersas pelago tabulas vndiq́ colligendi nondum finis esset, volui vtrumq́ simul facere, & obsequi Superiorum imperio, sine mora hæc proferẽdo, & mihi deinceps ocium comparare, ut fusè & distinctè Pauli vitam integrè describam. Itaque primitias nunc accipe, messem olim, si hæc tibi grata erunt, habiturus. Pauca sunt, fateor, quæ nunc profero, sed omnium tamen gestorum eius compendium dici queunt, adeoq́ sincera & germana sunt, ut nulla opus professione aut testificatione nostra habeant, sed id solum ipsa postulant ut puro oculo inspiciantur. Confido enim omnes homines, qui ad hæc legenda accedent (modò ne auerso prorsus animo & hostiliter cum eo agere velint) victrici Veritati, quæ alleuare caput è nubilo, vindice Deo, iam cœpit, facillime concessuros. Aequum enim est (ille ait) b saltem tabellis consignatis credere. His equidem instructus, facile, puto, confutare potero quicquid alij in Paulum odiosè scripserunt. Itidem quippè olim fecisse legimus Assuerũ Regem, qui calumniis Amani oppressum Mardochæum, lectis prolatisq́ Annalibus, à probro, à cæde, à cruce ad debitam laudem gloriamq́ extulit. Itaque sinceros tantùm Lectores hic volo, per quos virtus & existimatio Pauli ius suum (nihil ambigo) extincto cum causis suis odio, vel hoc tandem seculo impetrabunt. Quamquam quid ego, ut his

b Plau. Trin.

quæ producam fides habeatur amplius vrgeo? Iampridem edita sunt de Paulo multa præclara & duratura in omne æuum Elogia, & (quod caput est) ab ijs viris, ex eo tempore prolata sunt, vt planè existimari debeant non ab assentatione, sed à veritate profecta. E quibus vt laborem dispersa conquirendi, tibi Lector adimam, insigniora & breuiora aliquot nunc profero: Nam vt omnia singillatim excutiam, neque locus hic profectò est, neque animus. Itaque alij, c Sanctissimum & doctissimum; *Alij,* d Spem vnicam confirmandæ & constituendæ Reipub. Christianæ; *Alij,* e Virum admirabilem; *Aly,* f Præsulem pietate eximium, virtutis eminentem, & Sacræ vel lectioni, vel operationi, vel meditationi ferè semper affixum, *appellitabāt. Et his quidem, aliisq; eiusmodi laudibus, antequam Ioannes-Petrus Pauli nomen assumeret, hoc est, antequam Summus Pontifex renuntiaretur, celebratus est. Transeo autem nunc ad earum aliquot, quibus iam mortuus decorari meruit, illas etenim, quas dū Christiani gregis Pastor esset, à grauissimis viris, qui Paulum intimè nouerant, consecutus est, consultò prætereo, ne quis obijciat huiusmodi laudatores tempori subseruiisse. Igitur post obitum eius, Magnus ille & verè Catholicus Rex Philippus, cui Paulus, extremis ac penè intermortuis verbis Orthodoxam fidem amplificandam, veluti testamento mandauerat, ad tantæ iacturæ nuntium,* Heu, *inquit,* nunc obiit Paulus, nunc cùm viuere maximè debebat. *Considerabat nimirum Rex prudentissimus, eum Pontificem, qui tam paruo tempore, quod ab exitiali bello superfuerat, tot tantaq; pro Christi Ecclesia egregiè patrauerat si diutius Petri Cathedræ insedisset, eximijs vtiq; factis multarum ætatum exempla superaturum. Et Philippus quidem longè absens his paucis, sed grauissimis verbis strenui Pastoris excessū indoluit. at (quod miraberis Lector) in ipsa etiā Roma, & eadē ipsa propemodum die, qua,*

g Gens infrena virûm, quibus in scelus omne ruit fas,

marmoreā Pauli statuā, eius virtutibus meritisq; paucis ante mensib. positam, execrando ausu per Vrbem raptabant, Senatus, Primoresq; Romani, cum tanti flagitij crimen à se auertere niterentur, palàm apud Purpuratos Patres fassi sunt, h Nihil se, nihil Romanum Populū de Paulo conqueri posse, cuius virtutem mentemque optimam toties fuissent experti. Propinquos eius potius culpandos, quorū odio à furenti & promiscuâ plebe ea clades patrata fuisset. *Itaq; è medijs*

c Pol. ep. ad Sadol. d Gherius ep. ad Caraf. e Paulus III. teste Onuphrio in vit. Pauli IIII. f Iul III. in ep. ad Carolū V. M.S. apud Philonardum. g Auson. in Monost. h Vt refert Vincen. Bellus in suo Diario M.S. apud Biblioth. Vatic.

mediis ipsis bacchantis Vrbis tumultibus vocem extorsit Veritas, quæ innoxium sanctumq́; Pontificem ab eius propinquis, qui tanto furori causã dedisse putabãtur, longè secerneret. Quos tamen ipsos neque planè conuictos neque confessos, hoc est, non seruato iuris ordine, fuisse dãnatos, Pius V. veri iustiq́; assertor, sero quidem, sed recto iudicio declarauit. Iam hoc ipso Pio pijssimè & prudentissimè Christi Ecclesiã moderante, quis laudes Paulo dictas, siuè scriptas enumeret aut narret? Crebra iam audiebantur de eius virtute præconia & reuiuiscentẽ viri gloriam cuncti Ordines gratulabundi complectebãtur; appellabãtq́; eum passim, *i* Christianum Ciceronem, Latinum Chrysostomũ; *k* Nulli superiorum Præsulũ postponendũ; *l* Sanctissimum & eloquentissimum Pontificẽ; *m* Religionis vindicẽ, veræ libertatis assertorem, Principem clementissimum; Reparatorem veteris disciplinæ; Orbis columen, Hæresum pessumdatorem, vitiorũ omnium perpetuum hostem. *His aliisq́; id genus secundis admurmurationibus liberè iam augustam Pauli memoriam immortalemque existimationem prosequebantur. Videlicet ab eo tempore, quo Pius V. amplissimæ Christi vineæ procurationem iniit, reflorere cœpit procera, & speciosa illa arbor, quæ præterita hieme feris Aquilonibus diuerberata, flores frondesq́; posuerat. His ego verbis eos intelligo, qui, quod suis vitiis Pauli virtus, & disciplinæ zelus obstitisset, Sancti Præsulis famam teterrimis maledictis lacerauerunt. Igitur pro conuiciorum plaustris, quibus oneratum Augustissimi Pontificis nomẽ fuerat, ingentib. laudũ aceruis cumulatũ est. maximè ea celebri & fausta die, qua eius cineres è Vaticano Tẽplo ad B. Mariã super Mineruã, deducẽtibus omnium penè Ordinum hominibus, honorificentissimè translati sunt. Illa profectò luce vidit Roma triũphantẽ de impietate Religionẽ, de sceleribus Virtutem, de calumniis Veritatem. Non prosequar (neque enim hic locus) qui ornatus, quæ pompa, quã augusta Thesaurũ facies, quæ bonorũ omnium exultatio, qui improborũ mussantiũ mæror extiterit ea die. Illud vnũ sat fuerit dixisse, quãquam insignis eius Templi fornices, parietes, colũnæ omnia plena fuerint Elogiis, inscriptionibus, epigrãmatis, quæ magno bonorũ plausu Pauli virtutes, gesta, & in Christianã Rempub. merita celebrabant, tamen, quia magnum est laudari à magno viro, præstare equidẽ præconiis omnibus censeo præclarã illam*

i Hosius apud Scip.
k Rouerus lib. vlt. Hist.
l Sirlet. epist. ad Hosium.
m Ammir. in Tac. lib. 1. cap. 8. Bochius in Psal. 117. Acylius in Elogio; aliique multi.

Pij V. Laudationem, quam discolori marmori incisam extare æternùm voluit. Laudat quippe Paulū IV. prædecessorem suum ab eloquentia, eruditione, sapientia, innocentia, liberalitate, animi magnitudine, Iustitiæ & Religionis zelo. Porrò id elogium & si iis qui Romam, aut vicinas vrbes oppidaq́ incolunt, notius & patentius est, quam vt à nobis indicari oporteat, exteris tamen hominibus, maximeq́ trans mare aut Alpes degentibus, iucundum fore arbitror illud quod nunc compendiò retulimus, ad calcem operis cum fide exscriptum legere, simulq́ ex eo colligere, quàm solida & magna fuerit Pauli virtus, quam grauissimus & sanctissimus Pontifex adeò luculenter perpetuo testimonio celebrauit. Sed suo certè more fecisse videtur Pius: non enim aliter de Paulo aut sensit aut locutus est vnquam. Mitto, quòd quotiescunque Paulum nominare contingeret, non alio appellabat nomine quam simpliciter, Sanctum Patrem: Sanctus Pater id faciebat, Sanctus Pater id nobis dixerat, Sanctus Pater id constituere meditabatur*: atque horū similia. Parum hoc est, & vulgò notum. at præterea ingenuè fateri solebat, nihil fere se patrasse aut patraturum, nisi à Paulo inceptum aut cogitatum. Profectò ita est, & obtuenti Pij V. gesta liquidò apparebit lineas fuisse expressas de illo exemplari. Vidit id Panuinius, & vniuersè testatus est, n* Paulum IV. Sanctis suis institutionibus aut legibus, quas morte intercœptus edere, aut certè in morem vsumque inducere non potuit, amplum successoribus aperuisse campum rectam viuendi normā in posterum ordinandi. *Subijcit deinde idē Auctor;* Ex eius fonte cogitationū rationumq; multa Sacri Concilii Tridentini decreta postmodum profluxerunt. *Quod adeò verum est, vt Flaminius Philonardus Aquini Episcopus Vir integerrimus sæpe mihi narrauerit, se in Aduersarijs habere diligentem cuiusdam Scriptoris collationem qua Tridentina decreta cum Pauli cœptis aut cogitatis paribus fermè rationibus reputantur. Neq; id mirum. Scimus etenim Adriano VI. Clemente VII. & Paulo III. Summis Pontificibus Romam accersitum Carafam, vt labantem Ecclesiasticum Ordinem Sanctionibus prudenter dispositis suffulciret. Sed redeo ad Pium V. Pauli IV. Sedem, potestatem, vitæ rationem & spiritum pene ipsum adeò bene assecutum, vt Paulini animi sublimitas, Zelus, diligentia, fides, constantia, liberalitas, in Pium migrasse, & meliore tempore, videri potuerint. Is igitur grauissimus veræ virtutis æstimator,*

n In vit. Pauli IV. secundò edita.

mator, tanti fecit Pauli integerrimos mores, vitaq́; sanctimoniam quam intimè omnium multis ipse argumentis expertus fuerat, vt Superhumerale Pontificium, Stolam Hierachicam, & id genus indumenta aut ornamenta, non libentius alia sibi induceret, quàm quæ Paulus ante triuisset. Pileolũ è serico raso pelle Pontica subsutũ, quod Paulus gestauerat, statim ac Pontifex factus est, deposcit, illudq́; lacrymabundus exosculans, capiti induxit suo, veluti Sanctissimi Pastoris, & charissimi parentis exuuias. Sed quò me ab instituta breuitate abripis Pij de Paulo, hoc est grauissimi de grauissimo Præsule existimatio? Finio igitur meis præfari verbis, vt aliorum deinceps scripta cum fide hîc posita, & breuibus argumentis, siue, vt in Centone fit, ligamentis illustrata, aut colligata iam, Lector, inspicias.



Index Monumentorum in hunc librum, ex variis Auctoribus collectorum.

XXIII. An-

Ex his pleraq; à nobis tralata sunt ex Italico vel ex Hispanico in Latinum. Vnde verò ea habuerimus, suis locis significabimus. Vale, Lector, & fruere.



INDEX.

A.

B.

C.

Cam-

O.

P.

Petrus

FINIS.

Errata hæc,& si quæ leuia irrepserint,prudens Lector,corrige.

P.9.l.21 lege auita. p.52.l.1.lege prædictus. p 98.l.22.turribus. p. 134. l.13. l. hunc p.145.l.4.recentioribus. p.156.l.22. Vrbi. p.66.l.24.extemplò. p.105.l.20.humiles. p.115. l.12.vnusquisque. p.260.l.4.Scabellulum.

DE VITA



DE VITA PAVLI IV. PONT. MAX. COLLECTANEA HISTORICA.

DE GENERE EIVS, ATQVE ortu, ex Onuphrio, Nauagerio, Casella, alijs.



E Carafarum ſtemmate, è quo Ioannes Petrus noſter prodiit, nihil opus eſt dicere. Audiuiſſe, cognouiſſe eſt: adeò nota eius nobilitas per Europam penè vniuerſam. Is igitur ortus eſt ſummo loco, & quaſi maiorum gentium domo, quam ſummi Pontificatus infulæ non primò nobilitarunt, ſed iam olim clarã copiâ equitũ & Ducum domi belliq; Illuſtrium, ac quinque Cardinalium ſacratam purpuris, magis magiſque prouexerunt. Maternum etiam Ioannis Petri è Camponeſcorum ſtirpe genus, æquè

propemodum illuſtre fuit. Fortiſſima ea gens in Veſtinis, vetuſtaque admodum, & Guelphæ, hoc eſt Pontificiæ partis cauſæque non ſequax modò, ſed & princeps in iis Regionibus, & egregiorum facinorum pro ea tutanda auctor fuit. In iis Brachium Peruſinum Pontificibus Romanis rebellem, & Ghibellinorum inſignem Ducem, bello captum, in Camponeſcorum domo, terebrato cerebro, necatum legimus. *a* Vniuerſe autem de Veſtinis populis Pius V. Pontifex Maximus teſtatus eſt, *b* nunquam in iis oris aut natam hæreſim, aut aliunde inſperſam coaluiſſe. Vt non ſine diuini nutu numinis Ioannes Petrus Catholicæ Religionis vindex acerrimus ex ea regione maternum genus duxiſſe credendus ſit. Itaque Victoria Camponeſca Petri Lalli filia atq; hæres vnica, in quam ea primaria Veſtinorum familia defecit, Ioanni Antonio Carafæ nupſit, dotiſque nomine Montorii in Marrucinis Toparchiam in viri domum intulit. Ex his parentibus anno ſalutis MCCCCLXXVI. III. Kal. Quinctil. illuceſcente aurora Ioannes Petrus naſcitur. Puero geminum id nomen parentes indidere, quod intra octauas ſancti Ioannis Baptiſtæ, atque in peruigilio beatiſſimi Petri lucem hanc

a In Chr. Aquil. Anton. Rainaldi.

b Caſella lib. de Aboriginibus, fol. 42.

hanc primò aſpexerit. Editus verò eſt in Hirpinis, vico vel Capriliç, vel ſancti Angeli à ſcala (nō enim id ſatis liquet) propè Furcas Caudinas, & Beneuentum vrbem. Fratrem vnicum & maiorem ſe natu Ioannem Alphonſum habuit. Sorores quinque, Mariam, Beatricem, Dianam, Elizabetham, Ioannam. Prima Chriſto æterno regi deſponſa, ſapientiæ monaſterium Neapoli fundauit, rexitq; ſanctiſſimè; Cæteræ nobilibus viris in matrimonium datæ, in Leoniſſam, Carboniam, Tolphiam, Cantelmiam, illuſtres domos immigrauere. Sed hęc generis decora alii longiùs proſequantur. Nos conſultò hic breues ſumus, ne in ea laude expatiemur, quæ vt à Carafa noſtro aliena non eſt, ita tamen eſt complurium aliorum.

EIVS SVMMI PONTIFICATVS PRAESAGIA.

CYNVS CAMPANVS AVXIMAS, IN ORATIONE DE LAVDIBVS PAVLI IV. P. M.

HVNC (*Joannem Petrum Carafam*) *matri Victoriæ nobilißimæ fœminæ in aluo continenti, dum præcipiti via, non sine discrimine, equo veheretur, Templum quoddam inter scopulosos montes abditum religionis causa ascensuræ; Eremita, cum moribus & ætate iam grauis, tum aspectu & incessu, qui quidem sanctus videri posset, obuiam se tulit, Matronam nobilißimam admonuit, vt ventrem maximè ab offensione, atque ab iniuriis vindicaret. Fore enim asserebat, vt ex eo diuinæ virtutis vir nasceretur, qui summum in Ecclesia Dei Pontificatum obtineret.*

ONVPHRIVS PANVINIVS IN VITA PAVLI IIII. QVAM SECVNDO EDIDIT, idipsum asserit his verbis.

MATER, *sanctißimis fæmina moribus, dum illo grauida, montem, quod Virginis nuncupatur, vbi*

vbi Deiparæ Templum non longè à Carafarum oppidis constructum cernitur, pietatis ergò conscenderet, monita ab Eremita quodam fuit, vt pergeret pedetentim & satagens sui vteri; quod summum Pontificem concepisset & gereret.

Idem habet Nauagerius in Relatu de Pauli IV. pontificatu ad Senatum Venetum.

IOANNES PAVLVS FLAVIVS
ORATIONE IN FVNERE PAVLI IIII.
Romæ habita.

CVMQVE (*quod maximè memorandum est*) *ipsi Marcello iam Pontifici Maximo significatum esset, hunc Theatinum Cardinalem, domicilium* (*vt fit*) *non ita commodum sortitum fuisse*; Cedemus nos, *inquit*, ex hoc loco, vt ne tanto viro desit locus; *quasi ita futurum diuinus ille sanè animus præsagiret.* Hæc Flauius.

Ipse præterea Carafa, se summum Pontificem futurum prædixisse visus est, cùm, vt auctor est Onuphrius, ad suos conuersus, qui Marcello II. quinquagesimum quartum ætatis annum vix agente, atque adeò longè se iam octuagenario, iu-

niore, pontificatum adepto, de Theatini supremo præsulatu planè desperabant: *Confidite*, *a* inquit, *Nondum venit hora mea*. Lapsa ea vox in præsagium vertit: Nam intra duos menses & ille sanctè obiit, & iste in eius locum electus est.

a Onuphr. in Vit. Pauli IIII. secundò edita.

IN HIERONYMI MAGII NARRATIONEM

ARGVMENTVM.

EXcepi hunc Apologeticum Tractatum è M. S. apud Marinum Rainaldum probissimum senem, & Vaticanæ Bibliothecæ custodem. Tametsi verò nostrorũ patrum memoria, clarum certè fuerit Hieronymi Magij nomen, quia tamen vereor, ne multos hoc seculo eius virtus & eruditio lateat, sciant per me velim quicunq; hæc legerint, hunc illum esse Magium, qui scripsit erudita illa Miscellanea Critica, & de aculeo ac tintinnabulis libellos posthumos, Francofurti haud pridem editos. Porrò cum iam ætate & eruditione esset prouectior, & in clade Cypria, Venetorum Architectus bellicus egregiam pro Christianis nauasset operam, à Turcis captus, & Constantinopolim abstractus, in carcere strangulatus est; vti

Arnol-

Arnoldus Manlius in Catalogo γνησίων refert. Hãc verò narratiunculam ſcripſiſſe videtur eo tempore, quo varia (Vti Onuphrius narrat) de Carafa vulgus iactabat. Quod autẽ hic Caraphus habet, non Carafa, id Magius more ſuo facit: is enim ipſe lib. 2. Miſcellaneorum cap. vlt. eadem terminatione nobile hoc cognomentum enuntiat.

HIERONYMI MAGII I.C. DE IOANNIS PETRI CARAFÆ GENERE, MORIbus, & regularis vitæ inſtituto, Narratio.

IOANNES *Petrus Caraphus, vir Neapolitanus, cuius familia in omni Italia cùm vetuſtate, tum illuſtrium virtutum ſplendore ac opibus, clariſſima ſemper fuit, græcis, latinis atque hebraicis litteris egregiè inſtitutus, pubertatis annos vix ingreſſus, ab Oliuerio Carapho, patruo, qui Cardinalis erat, eſt ſacerdotio auctus ampliſſimo. Is autem, cùm à natura adiumenta haberet rerum gerendarum, natusq́; ad hoc potius, quàm ad ſacerdotium videretur, patruo vix ægreq́; obtemperauit. Ille huic perſuadebat non defuturas ei occaſiones & campum, in quo vires ingenij ſui atque induſtriæ poſſet exerere: atque ita eum breui induxit*

His conſentanea ſcribunt Dieghus Payua lib. 1. Orthodox. Explicat. Ricordatius Dial. 2. Hiſtor. Monaſt. aliique multi.

duxit in Pontificis Maximi gratiam, vt ille & Carissimum Petrum haberet, & in rebus arduis Christianæ Reip. neminem præter hunc, ferè audiret. factumque est; vt deinde eum ad Angliæ Regem Internuncium miserit. Inde verò ad Ferdinandum Catholicum Regem Caraphus migrans, apud eum eiusq; heredem Carolum diu mansit. Cui Carolo ita gratus euasit, vt in suorum, qui à consiliis erant, cooptarit; eumq; Sacerdotio optimo donarit. Quibus rebus cum diu multumq; Petrus præfuisset, atque in publica administratione versatus esset, sentiretq; se in occupata populariq; vita continuò prolapsionibus & periculis esse expositum; quinetiam sæpe ex ea mente, quæ ad Deum; hoc est ad primum summumque bonum, deuecta esset, in medio ipso cursu, negotiorum fluctibus deiectum iri ac obrutum, memor item responsi eius, quod tãquam decretum ex ipsius Domini ore prolatum est, dijudicantis pacatam vitam præstantiorem, sibiq; omninò gratiorem esse, quàm quæ curis ciuilibus occuparetur, cogitationem omnem consiliumq; conuertens ad ea onera, quibus grauiter premebatur, statuit commissos suæ fidei populos cura & diligentia pro sua virili gubernare, cætera omnia omittere. Itaque contulit se Theatam, vbi cum multos annos laborasset, vt salutaribus

consi-

consilijs curationibusq́; ægrotos de grege suo in salutem reuocaret, idq́; non sine summa cum dexteritate, tum patientia ageret, multa sibi à Neapolitanis Regulis obiecta sentiebat, quò minus fungi debito suo munere posset. Quare grauiter, vt par erat commotus, nihil non tentatum reliquit, vt si qua ratione fieri posset, iura sua integra & illæsa seruaret. At tandem cùm ne quidquam, neque Summi Pontificis authoritate, cuius auxilium Romæ quæsierat, neque suo ipsius ingenio ac gratia proficeret, populorum atque etiam Principum mores stomachans quodammodo, simulq́; animo voluens patruum suum iam pridem non certo iudicio, sed amore potius atque humano animi affectu impulsum, ei Episcopatum tradidisse, seq́; iam (quæ eius animi erat demißio) vel propter imbecillitatem ætatis, vel propter exiguum rerum vsum minus aptũ existimans ad illius gubernationem, re prius benè consulta ac diligenter considerata, primùm se ab Aula, hominumq́; frequentia amouit, deinde quacunque habebat Sacerdotia repudiauit, atq; vt tranquillitatem, securitatemq́; assequi omni ex parte posset, omnia etiam bona sua, partem in propinquos egenos, partem in pauperes ciues erogauit: ita vt nudus penè ad otium perfugerit; existimans vitam beatam non alia in re posi-

tam, collocatamq; esse, quàm in veri summiq; Dei cognitione; ad quam si quis peruenire vellet, omni animi perturbatione vacandum esse, tum cupiditate & metu, tum ægritudine & voluptate dicebat. Quo peracto in eadem ipsa Vrbe Roma vbi tunc erat, se in conclusum & secretum locum contulit, in quo vitam tranquille cum paucis degebat, Deo vna in pace silentioq; deseruiens. Sed accidit, vt Vrbe ab Hispanis militibus capta, Pontificeq; Max. in Arce obsesso, omnia Romæ ad militum libidinem paßim subuerterentur, ita vt qui hostium manus effugeret, is Dei beneficio ereptus, non humano consilio diceretur. Qui quidē Deus propterea quod iustorum hominum, suiq; sine fuco & fallaciis amantium procurationem curamq; suscipit, eosq; perire nullo modo sinit, virum sanctißimum quasi nube tectum per medias Vrbis flammas, mediosq; crudelißimorum atq; armatorum oculos transeuntem saluū atq; incolumem Ostiam perduxit: quem planè ad locū Augustino Amulio Venetæ Claßis Præfecto, paucis post diebus appellente, ab ipso hilari animo liberaliterq; exceptus est, Venetiasq; deuectus. Qua in Vrbe datus ei certus ac celebris locus est, vbi cum pauculis quibusdam cum nobilitate, tum morum elegantia doctrinaq; insignibus sociis se recepit, sumpto prius vno eodemque

omnes

omnes vestitu, qui honestissimus esset. Deinde si qui in eorum Societatem admitti cuperent, difficulter admittebantur, nec nisi facta prius diligenti de vita & moribus inquisitione, deq; precipua causa qua mouebantur hoc vitæ genus expetere. Pueri vero propter ætatis instabilitatē statim excludebātur: neq; ullus precibus aut lacrymulis locus erat. Regula ab iis Sodalibus exposita eiusmodi erat, vt erga Deum, tota mente, toto spiritu, tota anima colerent pietatem: erga virtutem, diligentia, exercitatione, assiduitateq; sanctitudinem seruarēt: erga proximum, misericordia, feruore, studioq; diligenti charitatem diligerent, castè viuerent. A iureiurando omniq; mendacio abstinerent, diuitias negligerent. Paupertatem ex voto profiterentur. Voluptati resisterent. Gloriam Vni Deo concederent. Beneuolentiam inter se maximè colerēt. Æqualitatem continuò tenerent. Victum deniq; & vitam communem haberent. Quodque omnium admirabilius est, cum nihil certi haberent ad vitam alendam (omnis enim eorum spes in Deo posita erat) si quid à quoquam eis donaretur, quo famem quotidie pellerent, non plus acciperent, quàm quod ad vitæ vsum necessitatemque sufficeret, reliquum omne in pauperes distribuerent. Atque ita sola spe sustentati vitā degebāt, quippe qui ex omnibus homi-

hominibus pauci & soli essent, qui diuitias & fundos repudiantes, virtute ditißimi haberentur. Omnemq; suam spem & cogitationem in vno Deo sitam esse, fixamq; volebant. Quo sanè excellenti mirabiliq; facto, vt quisquis optimus erat, ita maximè permouebatur, excelsamq; viri huius virtutem, ingentemque animi magnitudinem laudabat. Porrò quòd hoc temerè non fecisset, vita sanctißimè acta, ætas iam firma, rerum vsus, varia multiplexq; doctrina, diligens ac diuturna præparatio, fidorumque amicorum amantißima consilia satis demonstrabant. Quòd verò non ambitione motus hoc vitæ genus petierit, familiæ nobilitas, diuitiæ, omnium ferè gentium erga ipsum fauor & studia, summa hominis eloquentia, constansque in omni tempore vita facilè indicabat. Quod autem non ob naturæ timiditatem aut ignauiam, lucem atq; homines fugerit, multa inditio erãt, plurima scilicet & propè infinita pro Republica Christiana apud vniuersos ferè orbis principes feliciter acta: & (quod caput est) rerum omnium humanarum despicientia, quæ quidem facilè eius insignem animi fortitudinem arguebãt.

IN EPISTOLAM JOANNIS PETRI Carafæ Episcopi Theatini, & Clericorum Regularium Parentis ad Caietanum Thienæum Collegam, aliosq́; Neapoli degentes,

ARGVMENTVM.

ESVBIECTA epistola à Philonardo Reuerendiss. Aquini Episcopo nobis exhibita, quam anno XXXIV. superioris seculi, hoc est, ab instituto Ordine, X. Carafa noster Venetiis Neapolim ad Caietanum Thienæum scripsit, percipere poteris, lector, quæ cunabula, qui spiritus, quanta in Dei cultu Religio, quàm solida, viuidaque ad inuicem Charitas, quàm ingens paupertatis, puritatisque zelus nostris illis Patribus exstiterit. Quocirca hæc nobis potissimum epistola erit, spero, proficua: Nam exempla veterum magnis cum subeunt animos authoribus vim & authoritatem maximam retinere, magnus ille Stagyrites verè & præclarè scripsit. Huc etiam faciet Bartholomæi è nostro Ordine Presbyteri sanctissimus obitus, qui his literis à Carafa describitur, stilo sacro, & Diuinæ Scripturæ flosculis intertexto. Habebat hoc in more Carafa, Sanctorum quorumdam Patrum imitatus exempla, vt res sacras, haud profano eloquio, sed ipsissimet Bibliorum verbis aut exponeret, aut veluti gemmulis exornaret. De Egesippo quidem vetustissimo illo Ecclesiasticorum Actuum Historiographo, scriptum legimus, stilo simplici primorum Christianorum gesta literis commendasse: *vt quorum vitam imitabatur, scribendi quoque exprimeret charactere.* Idem de Theatino Episcopo dici fermè potest. Quod vel ex hac vna epistola facilè, lector syncere perspicies.

CAIETANO THIENÆO ET CÆTERIS FRATRIBVS NEAPOLI COMMORANTIBUS SALUTEM.

FRATRES *dilectißimi: Gratia vobis, & pax à Deo Patre, & à D. nostro Iesu Christo cum omnibus, qui diligunt aduentum eius. Literas vestras ad* XIIII. *primo, deinde ad* XXII. *Nouembr. datas, cum iis, quas antea vos dedisse scribitis, diuersis temporibus accepimus; & respondere vobis non casu, aut negligentia, sed consultò distulimus, quod in hac familiolæ nostræ diuisione, præsertim in tam longa distãtia, multa nobis necessariò prouidenda viderentur, quæ nisi aßiduis precibus Domino cõmendata, & diuturna meditatione digesta, nec nõ frequenti ac diligenti examinatione discussa, effundenda non fuerant. Adde, quòd ne illud quidem breuißimum literarum genus, hoc est: si valetis, nos valemus, ad vos scribendum fuisse, exitus ipse demonstrat: contigisset enim vos à nobis etiam nolentibus decipi, quandoquidem his diebus charißimus frater noster Bartholomæus Presbyter sanctißimè ac religiosißimè migrauit ad Dominum. Nunc autem dicimus illum, vnum ex omnibus nobis, verè in Domino benè valere, quòd ita receßit à nobis, vt nos illum præmisisse, non amisisse putemus: reliquit enim nobis incredibi-*

dibile sui desiderii, & sanctæ ædificationis exemplum. Primùm, quòd apud nos irreprehensibiliter vixit, iugumq; Domini vsq; ad mortem constantissimè, libentissimeq; portauit; tum quòd in exitu, longè maior apparuit, quàm quisquam illum existimare potuisset. Decessit enim ex non longa, licet graui ægritudine, catharro scilicet illo, quo, vt nostis, iugiter infestabatur, sed tunc longè quidem acrius quàm vnquam antea. Nam post intolerabilem dentium dolorem, & vnius molaris euulsionem, vis morbi vehementer inualuit, ita vt febres ardentissimæ, atque omnia vicina mortis inditia spem omnẽ corporeæ salutis auferrẽt: tum vero Christi miles, non tristis effectus est, sed quasi rediturus in patriam, totus ad Dei laudes, ad psalmos, ad Hymnos, Precesq; conuertitur, à quibus os illud sacrum vsque ad vltimum spiritum nunquam cessare visum est, nisi aut psallentibus circa eum nobis, aut aliquid ex diuina lectione recitantibus, quibus tamen ipse responde-bat, aut præueniebat interdum. Quid illo sancto viro in tantò corporis, atque omnium membrorum cruciatu, atque in ipsa mortis agone, patientius? quid constantius? quid sapientius? quid deuotius? Voluuntur per ora lacrymæ, dum ista scribimus, & dicere de illo, quæ institueramus, fletu interrumpente, non possumus, quid vltra quæritis? in sacratissima Domi-

nicæ Natiuitatis nocte, venit ad Ecclesiam, accepit sanctum Viaticum, in cuius fortitudine vsq; ad Dei montem intrepidus pergeret: & brachiis fidei, complexus cum Symeone puerum, dixit; Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. *Et reuera factus est in pace locus eius, & consummatus in breui, expleuit tempora multa; raptus est ne malitia mutaret mentem eius, & ita raptus, vt postquã lecto decubuit, vix tribus noctibus circa eum, dispositis stationibus, vigilatum sit, & tandem Dominico die in festo sanctorum Innocentium, post vesperas Christi pugil, & athleta, extremi certaminis vnctione perfusus est; qui Sacramentum illud summa cum deuotione, & alacritate, quasi futuræ Victoriæ insigne suscipiens, eadem nocte hora circiter decima, inter choros Sanctorum Angelorum, Patriarcharum & Apostolorum victor abscessit. Manè autem facto, corpus Sacerdotalibus indumentis ornatum, in Ecclesia positum est, omnesq; pro eo Hostiam salutarem obtulimus, illud Amos Prophetæ* a *interim dicentes:* Festiuitates nostræ conuersæ sunt in luctum, & cantica nostra in planctum. *Deinde post vesperas, defunctorum Vigiliæ celebrantur, nec funus effertur, vsque ad diluculum sequentis diei, quo post Victimam salutis oblatam iusta-*

Luc. 2.

a Amos 8.

iustaq; facta, reuersus est puluis in terram suam, vnde erat, & Spiritus ad Deum, qui dedit illum. Ergo & vos, fratres amantissimi, celebrate frequentes exequias, cumulate Altaria donis, plenosque calathos odoratis Sanctarum precum floribus, super fratris tumulum spargite: numquam illius apud nos intermoriatur memoria, qui viuit in Christo. Sed absterʃis parumper lachrymis, ad vestras literas redeundum est; nec tamen ordinem exigite ab afflicto ʃene, mœrore, & fletibus cõsternato; cum quidquid in buccam venerit, nunc satis esse oporteat: post autem, si vitam Dominus dederit, quod defuerit, repensabitur. Scribitis multa de Ecclesia, deq; loci istius qualitate & dispositione; ad quæ omnia dicimus, placere nobis ea, quæ de ipsius Ecclesiæ honestate pariter, & libertate scripsistis; quodq; nulla sit in ea superstitio, nulla sæcularium seruitus; quòd placida in ea solitudinis quiete fruamini; quòd procul ab aura populari, procul à vulgi rumoribus latenter, silenterq; viuatis; quòd à paucis tantummodo deuotis amicis visitemini, nullusque ad vos profanus arbiter, nullus curiosus interpellator accedat. Item quod nulla vobis hypocritarum, nulla muliercularum blandimenta surrepant. Hæc verò nobis summoperè placere testamur, atq; vtinam Dominus Iesus sic nos sibi viuere,

uere, sic sibi cohærere faciat, vt mundus nos vixisse non sentiat. De ædificio autem dicimus placere nobis, vt ea quæ ad necessitatem pertinent, requiratis; vt scilicet sarta tecta habere possitis, vt cellulam quisque suam habeat, quo se tanquam in portum recipiat, simul vt reliquæ officinæ ad communia ministeria peragenda pro loci exiguitate non desint. Nam de Ecclesia nihil aliud dicimus, quàm vt molestissimum illud præ foribus operarum emporium, & publicus per Ecclesiam transitus, si fieri poterit, auertatur, quod nobis Seuerus noster non difficile factu esse monstrauit. Hæc autem omnia sic accipienda esse dicimus, vt quamquam totus hic Mundus nobis exilium sit, specialiter tamen in ista Ciuitate vos aduenas, & peregrinos esse noueritis, & idcirco operæpretium esse ducimus (quod & fieri cum DEI auxilio poterit) vt sic in omnibus, & cum omnibus conuersemini, tamquam istinc propediem migraturi; nondum enim portas Ciuitatis intrastis, nec adhuc scire possumus, quid crastina die iussurus sit Dominus; quamquam ista non dicimus, vt pro locis intra Ciuitatem eligendis, vos debeatis esse solliciti. Scimus enim si vos istic Dominus esse voluerit, loca opportuna nobis intra mœnia, Dei benignitate, & ipsius Ciuitatis liberalitate, non defutura.

Nam

Nam de ijs locis, quæ vobis dicebatis offerri, valde adhuc hæsitamus; quod in altero, antiquam illustris familiæ Domum dedicare difficile sit. in altero vero, Ecclesiam ab harpyjs auferre, nec illarum contractu fœdari, multò quidem difficilius. quamquam præter hæc, eadem Ecclesia, & si nobis & a *Apostolica reuerentia, & veneranda illa vetustate summoperè placeat, tamen in celeberrimo Vrbis loco posita, tanta vndique secularium ædificiorum mole comprimitur, vt locus ibi tolerabilis hospitij esse vix possit, honesti certè nullo modo possit. Quare vox Domini expectanda, & assiduis precibus, atque intenta cordis aure captanda est: & nihilominus quid interim vobis, de eisdem, vel alijs locis à quoquam dictum fuerit, ad nos diligenter scribendum curabitis.*

a Ecclesiam S. Pauli his verbis significat.

De duobus illis nobilibus clericis, qui ad nos venire cupiebant, nunc neq; hic, neq; istic nos illorum deuotioni satisfacere posse videmus: multa enim sunt, quæ nos rationabiliter mouent, eaq; nunc dicere non est necesse; & tamen vt in aliquem commodioris congregationis portum se conferant, genusque illud vitæ periculosissimum fugiant; suadendum putamus, ostendendumq; eis, in hac nostra paupertate, & personarum paucitate, delicatulos iuuenes absque maximis incommodis,

& laboribus non ferendis esse nō posse: vt sic & ea, quæ vera sunt, nō abscondatis, & eorum saluti melius consulere, atque in pace dimittere valeatis.

De funestis illis nuptijs est quidem dolendum, sed minimè, in fœminea leuitate mirandum, quod scribitis; & nescio an eis succensendum sit, apud quas nullus est rationi locus, sed totum furor possidet, nec dignæ, de quibus tot verba fecerimus: digna verò est Venerabilis Ancilla Christi a *Mater nostra, & de qua loquamur, & quam omni venerationis obsequio in Domino prosequamur; & tibi inprimis gratias agimus charissime frater pro syncera charitatis affectu, quem in eam, non modò istic præsens, sed nobis absens, tam crebris litteris, tam diligenter, tam amanter, de ea scriptis ostendisti, sed ad causam illius Monasterij* b *pro voto expediendam, in tempus valde alienum incidimus, nec tamen destitimus in hac Pontificis absentia tentare si quid effici potuisset; & Veronensis noster, qui nos diligit, quique vestras ad nos de eadem re litteras, cum nostris habuit, ingenuè fassus est, se absentem etiam in suis ipsius expeditionibus vix audiri. Sed cognito Pontificis in Vrbem reditu, iam aliquid tentare decreueram, eramq; dubius animi, vtrum tu frater mittendus ad Vrbem esses, an litteris res agenda. Et certè vt tu acce-*

a Maria Carafa, eius Soror, quā vocat matrem, quia maior natu erat, & Ioannē Petrum materno diligebat affectu.

b S. Mariæ de Sapientia.

accederes, magis sedebat animo; quod plurima essent, quæ nos ad id hortari viderentur, adeò vt iam ad eundem Veronensem litteras dederim, quibus apud eum agerem, vt te sanctissimo D. nostro per amicos suos studiosius commendaret, litterasq́; super eo ad te Neapolim, vel ad Vrbem mitteret, quas tu eisdem reddendas curares: Verùm in hoc paululum subsistendum duximus, & in tempus non ita multò longius, sed certè opportunius differendum. Te verò mi frater etiam atq; etiam rogo, vt in illo monasterio à secularium seruitute liberando, eiusq́; vicinia purganda, illaque muliere, eiusdem monasterij vexatrice, inde abigenda, atque arcenda pro viribus labores; atque vtinam resipiscat, antequam iram Dei, quam prouocat, suo magno malo experiatur. Supradictam verò matrem nostram, fidelem Christi seruam consolare in Domino, & dicito illi, si quid velit non à me, sed à Domino petat; nam & ipse veniam ad vos, si Dominus iusserit, atque omnia faciam, quæ illam, téque, frater, velle intelligam. Et de formula Breuis, tentabo quid, adiuuante Domino, in eo genere valeam, quidue mihi per occupationes meas liceat, quæ me vix pauca hæc ad te sinunt scribere. Fratrem nostrum Petrum a Presbyterum, intra cordis nostri penetralia iam pridem recepimus: Sed ne

a Petrum Veronẽsem Doctorem Sorbonicum intelligit.

quid eius deuotioni deesse videatur, etiam ad expres-
sam professionem, quam vt dicitis, instanter offert,
de communi fratrum consensu, nostro & totius Con-
gregationis nomine admitti libentissimè volumus; &
formam quam in similibus obseruare cupimus, donec
melius aliquid ostenderit Dominus, ad vos cum his li-
teris mittimus. De illo autem iuuene, qui de vxoris cō-
sensu, relinquere seculum cupiebat, & post sancta desi-
a Luc. 10 *deria, auctus est filio, quid dicam nescio, nisi quod* a
multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre quæ
vos, fratres mei, videtis, & nō viderunt, & audire
b Iere. 10 quæ, *intima cordis aure*, vos auditis & nō audierūt.
c Psal. 36. b Non enim est in homine via eius; c Et à Domino
d Rom. 9. gressus hominis dirigūtur. d Et non volentis, neq;
currentis; sed miserentis est Dei. *Nostrum verò in*
e Io. Antonium Caracciolum intelligit. *Christo charissimū* e *Comitē Oppidi, toto mētis affectu*
complectimur, & in eo quod pro nobis immeritis facit,
Domino fœneratur, & quoniam non sua, sed ipsum
quærimus, in eo maximè gaudemus, quod nobis de eius
fide ac deuotione scribitis. Quòd verò Domui suæ di-
sponere dum viuit & valet, & testamentum condere
cupiat, nos valdè probamus; ne in mortis articulo,
quādo de sola anima cogitandum est, superflua & in-
utili rerum pereuntium sollicitudine distrahatur.
Quid

Quid verò cui legare debeat, hoc certè nos benè consulere posse diffidimus. illud dicimus, in huiusmodi in primis iustitiã esse seruandã, & neminem, eo quod iure sibi cõpetat, pietatis obtẽtu, sine causa, esse fraudandũ; Si quem læsimus, si cui damnum intulimus, seu damni causã, auxilio, consilio, fauoreùe dedimus, largè resarciendum est; iuxta Sancti illius Publicani exemplum, qui a quadruplum reddidit: In ijs vero quæ voluntaria sunt, adhibito religiosæ discretionis examine, faciat quod voluerit; tantummodo oculus eius simplex, & rectus sit, vt nec tuba canat, nec hominum rumusculos aucupetur, nec in aliquo sinistra nouerit quid dextera faciat; nam eorum tantum operum remunerator est Dominus, quæ sui causa facta fuerint; eorum verò quæ ad huiusmodi gloriam fiunt, non remunerator, sed vltor est. a Luc. 19.

Scito etiàm nos omnes, Christi gratia, in Sancta pace, & tranquillitate viuere, & mutua charitate connexos, ab inuicem non posse discedere, magnoquè omnium vestrum, ac tui in primis, charissime frater, desiderio nos teneri. Gregorium fratrem nostrum ad Diaconatus Ordinem promouimus, euecturi eum ad Sacerdotium si Christus iusserit.

Iune-

Juuenem quendam Bergomensem annorum circiter triginta recepimus, nomine Simonem, quem priusquã reciperemus, longa dilatione fatigauimus, & vt illius perseuerantiam ac patientiam probaremus; simulque vt de eius natalibus, vita & moribus per fideles amicos certiores redderemur. In hospitali Sanctorum Ioannis & Pauli, nostris inibi in Christo filiis Gubernatoribus studiosè eum commendauimus; ibi cum diligentissimè se, fidelissimeque gessisset, ita vt ab omnibus ibidem conuersantibus summoperè laudaretur, cumq; ad nos venire vehementissimè cuperet, instantissimeq; rogaret, tandem illum hospitio recepimus, nec vltra progressi sumus, quanquam & ipse id assiduè flagitat, vt ad habitum admittatur, & nobis certè non indignus videtur, qui exaudiatur; sed hanc dilationem nihil illi nocituram putamus, eo quod in omnibus domesticis laboribus libenter exercetur, & imperata facit, non secus atque vnus ex nostris, nec admiratione stupet, nec stupore languescit; & si caret litteris, non caret ad eas addiscendas ingenio.

Theodoro nostro, paucorum mensium absentia, nonnihil profuisse videtur: fert enim aliquanto leuiùs consueta certamina: sed vt nihil fuisset melius habiturus, certè quó minùs reduceretur a nobis vitari, sine

maxima omnium bonorum offensione, non potuit: itaq; quocunq; res verterit, satis omnibus factum putamus; nam suis propinquis nihil potest esse modestius. Vos igitur illum specialiter iuuate precibus: dignus est enim, qui ab omnibus nobis ametur: Quid dicam de ceteris fratribus? quid de ipso Præposito? f Dici nõ potest, quantum me per illum seruum suum, perq; reliquos Dominus consoletur. Vidisses in obitu fratris nostri ad ministeriorum obsequia omnes certatim ruere, satagere, trepidare, discurrere; vt singulorum salus in eo periclitari videretur: post obitum verò præ lacrymis (pijs illis quidem & religiosis) omnium tristes ac tumentes oculos, nec posse quenquam alterum consolari; Itaq; vt verum fatear, vulnerauerunt cor meum iaculo dulcißimæ charitatis.

f Bonifacio à Colle, qui ab anno 1533. vsq; ad 1535. Venetæ Domui præfuit.

De rerum autem diuinarum, & aliorum operum aßiduitate quid referam? certè non multa in hac paucitate requireres, ex ijs quæ à maiori fratrum numero fieri consueuerunt. portant enim strenuè pondus diurni, nocturniq; laboris, præsertim cum à me parum admodum adiuuentur, quoniam iam ingrauescente ætate, non modò corpus, sed animus ipse me deficit.

De amicis verò tam Venetis, quam exteris, nihil

noui, quod magnoperè scire cupiatis, habemus. Soror nostra Cappella cum tota illa Christi familia rectè valet. Prior Sanctæ Trinitatis Christo ministrare non cessat. Augustinus Amulius g magno nos amore prosequitur: Venerius & Contareni non desunt; Maurocenus se sibi furatur interdum vt ad nos veniat.

g Venetę Classis Præfectus quo inuitante & ducente, Fratres nostri an 1527. Roma Venetias appulsi sunt, vti Magius retulit.

De Zambone verò loqui non est necesse, cùm ita nos diligat, vt sine nobis vix putet se posse viuere: Quis verò poterit hoc tacitus præterire? (neque enim id, ne apud vos ambitiosum videatur, verendum est; cum potius id dicendum sit, ne homines de nobis optime meritos orationum vestrarum remuneratione fraudemus.) Princeps h Reipublicæ Venetæ, qui maximarum rerum occupationibus, curisq; distringitur, abiectionis nostræ puluerem obliuisci non potest. Itaque non semel eius beneficio, pauperum calefacta, ac refecta sunt viscera. Legatus Apostolicus & ipse non deest. Cæsaris Orator in nos humanissimus est. Beltranorum familia, litteris, opibus, officijs, nos deuincire non desinit. Bartholinus noster oculos suos, si fieri posset, erueret, vt semper aliquid nobis impenderet. Sed ne panegyricum contexere videamur, omnes in commune Christo commendatos offerimus,

h Andreas Grittus.

& vos,

& vos, vt pro omnibus oretis, hortamur. Mater Joannis Presbyteri fratris nostri cum tota Domo suâ rectè valet; & soror eius ab eâ quâ detinebatur infirmitate conualuit. Timotheus Justus frater noster, vos salutat in Domino. extra hanc Urbem, primus, Reuerendus i *Veronensis occurrit, & Capellus, & Scaynus, cum reliquis Salodiensibus amicis. quorum tanta fides est, vt adhuc nos, non modò diligant, sed instanter inuitent, ac contra spem expectare non cessent. Vicentini nostri non desunt: præter paucos, quos mœstos esse audio: Jam enim Baptista extra gremium Religionis, apud Castellum Vastallam, ex longa ægritudine mortuus est, primo die mensis huius. faciat Dominus misericordiam cum illo, & adijciat quod oratio non præsumit: Patauini nostri silent; Stella non lucet. Bergomensis Æmilianus* k *noster, permittente Episcopo, reliquit Bergomum, & ducto secum quinq; & triginta militum exercitu, Mediolanum petijt, vbi non dico quanto cum plausu exceptus sit. hoc tantum dicam, gratias mihi Illustriss. Ducem Mediolani egisse per suos, qui hic sunt, qui cum eius litteris ad me venerunt, quasi ego illuc Æmilianum miserim: & certè hic honor mihi sine causa defertur. Res Laureta-na* l *refrixit penitus; nec est amplius cur de illa loquamur.*

D 2 Jam

i Mattheus Gibertus Veronæ Episcopus.

k Hieronymus scilicet Aemilianus Autor Ordinis Somascænorum: qui Carafæ cõsilio ferè in omnibus vtebatur. Vid. Vit. eius lib. 1. ad finem.

l Egerat apud Clement. VII. Gibertus, vt Patres nostri Ædem Lauretanam incolerent, vt elicitur ex epistola Giberti ad Carafam To. 2. Manut. fol. 95.

Jam fessus noctem insomnem duxi; vt te litteris explerem. Vale in Domino vnà cum fratribus, cum quibus pro nobis instanter orate. Matrem & Sorores, & omnes nobis in Christo dilectos, & qui in Christo nos diligunt, saluta nostro nomine. Salutant te Præpositus, & cæteri fratres, atque omnes amici. & si fortè vobis prolixiores fuisse videbimur, scitote nos nihil adhuc attigisse, eorum quæ vobis dicenda promisimus. Dabit Dominus & nobis quod dicamus, & vobis quod audiatis ex eo. Iterum Vale. Venetijs 18. Januarij 1534.

Agebat itaque Venetiis cum chariſſimis sodalibus Carafa, ab omni Romani fori Aulæque tumultu non abſens modò, ſed penitus etiam alienus; Romanumque ſolum, veluti ſollicitudinum feracem agrum, adeò defugiebat reuiſere, vt anno 1535. reuocanti eum ad Vrbem Paulo eius nominis Tertio, gratias quidē, vt ad tantum Principem decebat, per litteras egerit, nihilominus, de ſe, quod redire nollet, apud Pontificem excuſando, Franciſco Vannucio litteras dederit, quas vtraſq; à nobili Viro Ferdinando à Marta mihi exhibitas, nunc ſubijcio.

Sanctiſ-

Sanctissime ac Beatissime Pater.

MIsit nuper ad me V. C. Latinus Iuuenalis, Sanctitatis Vestræ Secretarius, cum suis, etiam Sanctitatis Vestræ m *humanissimas litteras: ex quibus intellexi & quæ de mea in Sanctitatem Vestram, atque in istam Sanctam Sedem obseruantia ac pietate memorasset, & quæ benignis auribus Vestra Sanctitas paternè statuisset. Ego verò Beatissime Pater & omnes fratres mei, qui mecum Domino seruiunt, in primis Omnipotenti Deo gratias agimus quod talem Ecclesiæ suæ Pastorem præfecerit, cuius ipse mentem Spiritu Sancto impleat, & suæ imitandæ mansuetudinis amore succendat. Cum enim de eo scriptum sit,* n quòd excelsus est & humilia respicit, & alta à longe cognoscit: *& quòd neminem libentius intuetur,* o *quam* humilem & quietum & trementem verba sua; *nos hæc eadem Sanctitatem Vestram fecisse videmus, cùm ex isto fastigio oculos ad tam ima deflexit, & hominem abiectum, atq; in hoc angulo præ confusione latentem, sedentemq; in puluere sordium, & testa durioris vitæ radentem saniem peccatorum, non dedignata est tam benignè respicere, tam affabiliter alloqui, tam humaniter ad sua atque istius Sanctæ*

m Hæ quarum hic meminit, Pauli IIII. ad Carafam literæ, à me diligenter conquisitæ, nusquam hactenus reperiri potuerunt.

n Ps. 137.

o Isai. 66.

Sedis obsequia inuitare. Itaq; litteras illas, quamquam sero redditas, cum summo tamen cultu debitæ pietatis accepimus, & vocem in eis legitimi Sanctæ Ecclesiæ Pastoris agnouimus. Et quamuis hoc ipsum, cùm per amicos alios, tum per eundem Latinum iam pridem fecerimus, & si per imbecillitatem ac valetudinẽ mei corporis licuisset, ipsi coràm id facere maluissemus; Tamen, vt nunc possumus, iterum proiecti ad istos Beatissimos pedes, Te in patrem ac Dominum suscipimus, ac veneramur; & Dominum Nostrum Iesum Christum, cuius in Terris vicem geris; in Te supplicitur adoramus, omnem obedientiam ac reuerẽtiam Tibi tanquam vero Christi Vicario, & Beatissimi Petri Apostolorum Principis successori humiliter exhibentes; atque vsq; ad mortem fideliter pollicẽtes. Et ne grauioribus Sanctitatis Vestræ occupationibus improbius obstrepere videamur, scribimus ad Charissimum fratrem nostrum Franciscum Vannucium, quo nobis nihil potest esse in Christi amore coniunctius, vt ipse omnium nostrum nomine istos Beatissimos pedes exosculans, Sanctitatis Vestræ benedictionem nobis impetret, & quæ his litteris desunt, quoad licuerit, suppleat. Optamus Sãctitatem Vestram semper in Domino bene feliciterq; valere & Sanctam

fidem

fidem Catholicam, omnibus aduersitatibus erroribusq; sublatis, per vniuersum Orbem suis auspicijs latius propagari. Dat. Venetijs Die 24. Aprilis 1535.

Ita ad Paulum III. Carafa noster. De reditu autem suo Romam, nihil promittit: immò, ne ad redeundum, iussu Pontificis adigeretur, cùm Vannucio diligenter agit, his verbis, quæ è litteris ad illum ea ipsa die datis, excerpsimus; omissis alijs quæ huc facere non videbantur.

**** *Latino Iuuenali Secretario Sanctissimi Domini Nostri, dum Venetijs esset, hortanti nos, vt siquando à Summo Pontifice Romam inuitaremur, recusare nollemus, respondi; Quòd pertinet ad meos Sodales, si quando Deus Pontifici inspirabit, vt nostrum hunc ordinem Romam reuocet, numquam me repugnaturum, aut vlla ratione detrectaturum; immò id quidem me probaturum valdè. Videri nãq; Ordinem hũc Romanum, Romæ scilicet institutum atque auctum, eò, hoc est, in patriã debere reuerti lucis, ac reparationis tempore, vnde tenebrarum ac turbinũ tẽpestate deturbatus fuit. Verùm, quòd ad me attinet, mihi* Ex Italico.

mihi crede, chariſſime frater, me ac vehementia quãta potui maxima, iam dicto Iuuenali ſtuduiſſe perſuadere, id neq; ad meam tranquillitatem, ac pacem, neque ad Summi Pontificis obſequia, neque ad DEI cultum aut honorem fore conducibile. Non repetam hoc loco, ne longior ſim, quæ in hanc rem rationum momenta attuli: &c. * * * *

Romam itaque reuerti detrectabat Carafa, quia ad honores, functioneſque Eccleſiaſticas, hoc eſt, ad arenam iterum atque ſtadium ſe reuocandum præſenſerat. Paulus verò III. ad Romanæ Aulæ mores emendandos, Conciliumq; Oecumenicum celebrandum, illum, è ſua licet cellula exire reluctantem, Romam iterum iterumq; ac tertiò accerſiuit, vti Onuphrius his verbis narrat.

Ex Italico. *Iam in Collegio ſuorum Clericorum dum Carafa degeret, à Paulo III. per Pontificias litteras bis Romã vocatus, biſq; ille, contrà, venire abnuens, excuſanſq; ſe modeſtè ac humiliter, tertiò tandem obtemperauit, Vrbemq; atque Pontificem adijt, qui eius conſilio in morum emendatione & Concilij Generalis celebratione quam adornauerat, vti volebat. Primo aditu, breuiſſimè auditus eſt à Pontifice: præmonitus enim hic fuerat à non nemine, vt ſi vellet eum retinere*

apud

apud se, atque augere honoribus, nulla ratione permitteret, vt is pro se diceret vt liberet; alioqui si viri facũdiæ locum daret, sentiret vtiq; sibi persuaderi, ne eum ab instituto vitæ itinere dimoueret.

Hæc Onuphrius in Vita Pauli IV. Pio V. Pont. edita, quam compluribus auctam; & veritati propiorem Lucius Facinus in Italicum transtulit. Ex ea nos accipimus, quotiescunque Onuphrium citamus: quem adeò inconstantem in Pauli scribenda vita extitisse mirabuntur fortè aliqui. At multorum hæc certè labes est, variare stilum cum tempore. In Onuphrio tamẽ bona ista leuitas fuit, quæ eum ad meliora, hoc est veriora traduxit. Nam ea quæ primò ediderat, animo & calamo scripserat vulgi rumoribus adhuc turbido. Sed deferuescente postmodum illa temporum rabie, refrixit & Onuphrij noxius calor; atq; (cum B. Hilario dicam *p*) tanta ratio veritatis & tanta vis fuit, vt vicerit voluntatem veri necessitas. Hoc ipsum laudabilis inconstantiæ exemplum videre est in Mambrino Roseo, vulgari illo, & minorum quasi gentiũ Historico, qui in suo ad Tarchaniotam supplemento, non ambigua solùm, & quæ beneuola interpretatione leniri possint aut de-

p lib. 6. de Trin.

beant, ſed certò etiam & perſpicuè benefacta in ſequiorem detorquet partem. Ad Colennutium autem libellos aliquot ſuos adijciens, adeò benignius de Paulo IV. loquitur, vt niſi vnum idemque nomen vtrumque Opus præferret, alium proculdubio Auctorem crederes. Porrò Paulus III. Pontifex, qui Carafæ virtutem, conſtantiam, eruditionem, nō aliorum modò relatu, ſed coram ipſe nouerat, obnitenti licet, pedicas inſeruit tamen, eumque è Cellula, quo ſe receperat, abſtraxit. Scio fore nonnullos qui de hoc eius animo ab honoribus alieno fortaſſis ambigent. At benè eſt. Mihi, vt lubet, ne credant, modò ſcriptoribus quos producam, multis & variis, domeſticis & alienis fidem adhibeant. Primus mihi eſto Onuphrius, qui ita pergit exponere, qua illum ratione ad Cardinalatus faſtigium Pontifex euexerit.

Ex Italico. *Ægrotauit interea Carafa grauiſſimè, & lethi penè metam attigit. Quocirca cùm eum Paulus Cardinalium numero vellet adſcribere, fuere nonnulli (ij videlicet, quibus ſancta hominis integritas non admodum cordi erat) qui ab ea mente Pontificem auertere conabantur, non viuenti iam ſed mortuo eam dignitatem obuenturam dictitantes. at ijs reſpondit Paulus,*

Paulus, sibi virtutem illam vel post funera decorandam. Itaque ab eo haud ita multò post, augusta illa generosi iudicij maturitate, facilè superiores Pontifices antecedente, nobilissima illa nouem Cardinalium publicatione, qua, anno Salutis MDXXXVI. XI. *Cal. Januarij, Viros egregios & præstantissimos ex Optimatibus Ecclesiæ vndiq; conquisitos, in Senatum legit, cum ægrotaret, habuit, insigne Cardinalis, purpureum pileolum, cumq; Pontifici, vti par erat, egisset gratias, conuersus ad suos; Appendite, inquit pileolum hunc ad illum clauũ. Nullum enim ad purpurã apparatũ, nisi arctissimæ & suspiciẽdæ paupertatis, quã Theatini Patres obseruãt, in ea domũcula erat cernere. Itaq; Presbyter Cardinalis Sancti Clemẽtis creatus est, amplissimamq; dignitatẽ, nullum ambitionis aut lætitiæ, ne leue quidem inditium promens, accepit.* Hæc ille.

Igitur hoc certũ est Carafã adeò purpura non lętatũ, vt etiã lõgè deterius deinceps se habuerit, vti Bernardinus Fuscanus Carafę vetus fidusq; cliens Jo. Martino Aloysio scribens significat his verbis. Ex Italico.

*** *Adeò fui molestijs obrutus propter periculosam ægritudinem Reuerẽdissimi Domini mei, vt nullam penè senserim lætitiam ob delatum illi Purpureũ pileum, quippe quòd cùm eum domum vsq; Summus*

*Pontifex misit (rem in Vrbe prorsus insolitam) Carafa noster sepulchro propior quàm vitæ erat. Deinde verò Dominico die, in quem Peruigilium Christi Natalis incidit, 24. totas horas frigidus, & penè exanimis, deploratusq; à me vt mortuus, fuit. Sed (vt Deo placuit) me eum continuò calidis lineis confouente, rursus incaluit, reuixitq́. Itaq; renasci eum Deus voluit se nascente. Rem planè admirandam, & supra humanas vires *** Vale. Romæ 20. Januarij. 1537. Ita Fuscanus.*

At Schottus, Scardæonius, Mattesilanius, Cynus, his ampliora tradunt: nam disertè scribũt inuito illi, ac renitenti Sacram purpuram fuisse delatam. Horum Epistolas cum fide exscriptas, tui, Lector, causa non grauabor hic ponere.

BERNARDINI SCHOTTI CL. REG. AD CARD. THEATINVM EPIstola Gratulatoria.

Reuerendissime in Christo Pater & Domine, Salutem.

QVI de te optimè sentiunt, maximeq; animi tui præstantiam, eruditionẽ, pietatemq; nouerũt, non adeò

adeò tibi ob ſplendorem dignitatis iſtius, ad quam nuper vocatus es neſciens ſignificãdam cenſent lætitiam ſuam, quam ipſi Eccleſiæ Chriſti apud te potiùs gratulandum, quòd tam ſapienter talem ſibi Conſiliarium, tantumq́; adiutorem vltro elegit. Dici vix poteſt quantum hinc alacritatis ac ſpei bonorum animis adiectum ſit, quòd ad Apoſtolicæ dignitatis gradum, optimi Viri noſtris temporibus quæri attrahiq́; incipiant, more Eccleſiæ vetuſtiſſimo, ac ritu planè Apoſtolico; Viri ſcilicet non vulgares, neque ambitioſi, vel ex ſæculi fluctibus irruẽtes; Sed ex portu Monaſterij, & in virtutibus exercitati, ac iã perfecti; qui iam olim abdicatis à ſe terrenis opibus, omniq́; affectu prauo relicto, diu in ſchola religionis ac virtutum gymnaſio humiliter Chriſto ſeruierunt: ac demum à Deo vocati tamquàm Aaron, ad religionis ipſius apicem, humiliter aſcenderunt, non aliud quicquam verbis aut moribus ſuis ſubiectam plebem docturi, quã quod ipſi antea didiciſſent. Speramus itaque Te, cum talis ſis, non tantum bonis profuturum, ſed vita & exemplo cæteris omnibus demonſtraturum, quibus in rebus, quibuſue in ſtudijs potiſſimùm ſplendor Cardinalatus ac dignitas iſta conſiſtat. Vnde poſtea Hæretici carnaleſq́; homines exemplo tuo plurimum vel emenden-

tur, vel confundantur, Videntes gregem Christi habere iam Pastores suos, qui non quæ sua sunt, quærãt, sed quæ Iesu Christi, Ego, si quid peccatoris oratio valere potest, omnesq́ fratres mei, pro salute & gloria tua sempiterna Dominum orare vix vnquam cessabimus, Pater in Christò Amabilissime atque Sanctissime. Ex Salòis. XXVIII. MDXXXVI.

Reuerendissimæ P. Tuæ

Seruus in Christo

Bernardinus Presbyter.

Post annos verò circiter octo, Bernardinus Scardeonius, Patauinus Presbyter, doctrina & probitate insignis, libris septem de Castitate, quos Carafæ Venetiis commoranti, diu antea recognoscendos dederat, eiusdemque cohortatione in vulgus emittere statuerat, Epistolam Dedicatoriam sanè luculentam præfixit, è qua nos prætermissis ceteris, quæ ad institutum non faciunt, pauca hæc excerpsimus

JOAN.

IOAN. PETRO CARAFÆ TT. S. CLEMENTIS CARDINALI THEATINO, Bernardinus Scardæonius S. P. D.

*** *Haud obscura est vis ingenij tui, sanctitas morum, excellensq́ in omni literarum genere eruditionis præstantia, & omnium humanarũ, diuinarumq́ rerum, vniuersalis, & absoluta cognitio. Vnde factum est, vt tibi ob Christi amorẽ extremis oris latitanti diutius non licuerit occultari: neque vt cupiebas, fas fuerit in sancta, ac diu concupita vitæ trãquillitate, diuinæ, ac cœlesti contẽplationi vacare. Admirabilis illa quidẽ tua rerum omniũ abdicatio, qua te spretis publicis muneribus ad vitã priuatam contuleras; at nunc multò etiã mirabilior euocatio ad tam præcelsum fastigiũ dignitatis. Vtrobiq́ sanè miraculum, & vtrumq́ (vt credi par est) ab vno, eodẽq́ Spiritu sancto diuinitus procuratũ. Dei certè Optimi Maximi nutu factũ est, vt quò magis latebras quæreres, honores fugeres, opes ac potentiã sperneres, eò ad maioris dignitatis gradũ euectus fueris: vt in maximo omnium mortalium, ac totius orbis theatro, velut super cãdelabrum positus, maius virtutis, ac sanctitatis tuæ lumen ostenderes. Nõ sum equidẽ nescius, quæ tua con-*

constantia semper fuit, te qui iam pridem episcopatum, opesq́; ac honores tua sponte reieceras; non aliter amplissimam Cardinalatus dignitatem, & delatas tibi vltro tanti honoris infulas suscepturum fuisse, nisi Pauli III. Pont. Max. praeceptum, ac pij necessarijq́; laboris ratio persuasisset, & Reipub. Christianae causa, & fidei negotium compulisset. Vnde fit, vt sicut antea non deserueras opus episcopi, sed opes: ita modo accitus hac diuinâ vocatione, non fastum, neque gloriam, aut inane nomen suscipiendum putasti, sed molestiam, laborem, auctoritatem, ac tuendae Christianae pietatis officium: cui in tota vita tibi semper incumbendum duxisti. Quare nemo bonus dubitat, id esse vrgere religionis propositum, non remittere. Quod & olim quàm plurimos sanctissimos, ac sapientissimos viros fecisse satis constat, quos in omnibus tu tibi iam ab ineunte aetate proposueras imitandos. * * *

Vale diu felix & beatus in Domino. E Rusculo nostro Murellano in Patauinis IIII. Nonas Octobris M. D. XXXVIII.

EX

EX LIBRO MARII MATTESILANII DE GVELPHIS ET GHIBELLINIS Part.2.fol.42.Romanæ editionis.

** *IGitur Joannes Petrus Carafa; vt exactius, quod animo agitauerat, re ipsa perficeret, nullaq; cogitationum aut dignitatum humanarum procella posset deinceps mentem subuertere, Theatino Episcopatu se liberè abdicauit; atq; adscitis aliquot Viris, eiusdem sancti propositi Socijs, ad Comtemplationis arborem extendit manum; indeq; suaues illos decerpsit fructus, qui vltrò sese ingerunt ijs, qui mundanis soluti sollicitudinibus, cupiunt eiusmodi delitijs saturari. Testantur id, perpetuoq; testabuntur remota à rumoribus loca, ac proinde exercendæ perfectæ Contemplationi valde idonea, quæ Virille & Veronæ & Venetiis incoluit; quibus adeò clarum Religiosæ vitæ, morumq; specimen dedit, vt inde quisq; liquidò nosse potuerit, nihil terrenum quicquam habuisse virium ad Carafam ab optimo eo instituto, quod semel cœperat, dimouendum. Veruntamen cùm Diuina Prouidentia statuisset, lucernæ fulgorem, qui ab æquabili sublimium eius Actionum serie promicabat, non diutius sub medio latētem sinere, sed super Candelabrum* Ex Italico.

illud septiforme ponere, quod in Templo Dei, altissimum habet locum, idcirco necesse fuit, vt ille præcipienti Summo Pontifici obediret, Purpuramq́ sacram, contra quam secum ipse deliberauerat, à Paulo III. vltrò sibi delatam, indueret. Quæ res benè feliciterq́ vertit: aliquot enim annorum exacto curriculo, ad Summum Pontificatum euectus est, ac ipso die quo Jesus Christus Dominus noster cœlorum fastigiũ olim ascenderat, vt videlicet, etiam Candelabrum illud de tam sublimi loco Ecclesiam sanctam Orbemq́ Vniuersum illuminaturum esse significaretur. O faustam diem, qua nunquã feliciorem poterat Christiana Religio exoptare! Nam (vt compendiò dicam) pietatis ille feruor atq́ deuotio quæ Christianos decet, multis iam antea annis aut extincta penitus fuerat, aut certè refrixerat, inq́ eius locum nefaria quæq́ vitia, corruptas hominum mentes occupauerant. At vbi primum bonus iste Pastor excelsam Petri Sedem adeptus est, zelo illo suo, & syncero Dei cultu, morbidos greges curauit, adhibuitq́ singulis corruptelis ea pharmaca, quæ temporum deprauata conditio requirebat. * * * *

Hactenus de Paulo Mattesilanius. Idipsum verò, nempè recusanti Carafæ delatam fuisse sacram

cram

cram illam Senatoriam dignitatem, narrat Thomas Dardanus, & alii quos prætereo. Hæ igitur grauium Virorum Testificationes, variis temporibus editæ, certò iam euincunt, vanissimos existimandos esse illos nebulonum aliquot susurros, qui aduersus Carafę nostri insignem modestiam, integritatem, sapientiam, quam in ea re constanter exhibuit, prorupêre. Sed suo ipsi profectò more inuidi homines, osoresque virtutis, faciebant, aurea videlicet benè gestorum fila, criminũ stamine in textrino Calumniæ prætexentes. Itaque sicuti antea, præclaras virtutes eius, quas sustinere non poterant, teterrimis vocabulis Odio Nomẽclatore appellitauerãt; ita postmodum, cùm è tenebris in quas sese abdiderat, in lucem extractum, & summo propemodum fastigio elatum viderunt, valdè sibi metuere cœperunt ab eius seueritate & sanctæ vitæ exemplo. Quocirca acerbis id factum oblocutionibus criminabantur. Adeò vetus illud Comici q verum est, *Nihil esse quin malè narrando possit deprauarier.* Verum enimuerò nequaquam his dimoueri potuit spectatæ Vir firmitudinis, vtpote cui longè maior inconstantiæ quam maledicentiæ metus inerat. q Terent. Phorm.

 Immò

r Sen. Ep. 114. Immò r *Quia sapiebat egregiè*, ideò, *mala eum opinio, bene parta, delectabat*; Meminerat quippe à Stoico sapiente dictum, *Non posse diu auctoritatē habere sententiam, vbi qui damnandus est, damnat.* &, *Malis displicere laudari esse. Ille vero* (verba nūc ego Onuphrij referre pergam) *collato honore in obeundis Senatorijs muneribus intentus, ita doctrinæ ac Sanctitatis fama fruebatur, vt obloquentium calumnias facile eludere videretur. Nam vitæ innocentiæ, religionis studio, & optimis moribus, multam eruditionem, præcellentem sacrarum litterarum notitiam, facundiam verò insignem, in dicenda publicè sententia, & omni sermone libertatem addiderat: animo verò constans ac fortis, vt personæ suæ vbiq; benè memor nec minis, nec precib. à dicta semel sententia recederet. Pontifici Paulo III. autor in primis fuit, vt S. Inquisitionis admodum necessariæ Tribunal, præstantissimis Patrū ad id munus Judicibus lectis Romæ instituer etur, qui inquirēdis damnādisq; Hæreticis summa cum potestate praeessent, latius iam per totam Jtaliam serpente Lutherana Hæresi, cuius labes non profanos modò sed & Religiosorum hominum multos polluerat. qua ratione factum est, vt membris ægrotis aut sanatis, aut si sanari non possent*

ampu-

amputatis, quæ contagio afficiebantur periculoq́; propiora erant, paulatim salutaribus remediis adhibitis, pristinæ sanitati restituerentur.

Prosequitur & alia Onuphrius de Cardinale Theatino laude atq; admiratione digna, quæ facilè apud eũ, Lector, inueniet. Ego ad alios Auctores nõ adeò passim obuios, nũc transeo; inter quos & Cynũ Pauli viuentis laudatorē adnumero. Nã, etsi statuerã nullum Scriptorũ qui de eius iã Pontificis, laudibus meminerint, in medium adducere, veritus scilicet, ne ij assentationi subseruisse potius quam veritati, existimarentur; aliquid nihilominus è Cyno Campano hoc loco non inuitus proferam: tũ quòd illud ipsum, quod aliorum iam auctoritate firmauimus, hic Auctor in Panegyrico, quod Paulo IV. Pontifici Romæ dixit siue scripsit luculenter afferat; tum verò quòd pleraq; eodem loco subiiciat, quæ ad Carafæ, Cardinalis præclara gesta demonstranda, spectare videntur. Inquit igitur inter alia Cynus.

*** *O felicia nostra tempora, quibus, tam fortes, tam graues, Viriq́; tam liberales floruère! Alter etenim (Carafa scilicet) modestißimus existens, dignitatem tam amplam, à tanto Principe liberalißimè ob-*

latam, cuicunque alij iucundißimam futuram, ſibi grauem ob tanti muneris onera, ſe indignum (quamuis dignißimus eſſet) putans, vt eã non acciperet, pro viribus obnixus eſt. Alter verò (Paulus nẽpe III.) qui dignitates hominibus, non homines dignitatibus exornare ſemper ſtuduit, ea qua fungebatur auctoritate, & poteſtate, aduerſantem compulit, quaſi diuino Spiritu commotus, futurum hunc Pontificẽ Maximum præſagiret. Quæ res vti Principis illius felicitatem, & nominis immortalitatem adauxit, qui quidem non tantum bene meritos Viros ad ſummas extolleret dignitates, verùm inuitos, & recuſantes compelleret, ita quoque erga Joannem Petrum Caraſam, omnium quidem prudentum, clarißimorumque virorum opinionem concitauit, ita ad beneuolentiam omnes accendit, ita ad ſummam admirationem adduxit, vt ab eo tempore omni honore, Jmperio, Summo denique Sacerdotio, quo nihil poſt hominum memoriam dignius, nihil magnificentius excogitari poteſt, dignißimus, vno omnium conſenſu fuerit ſemper iudicatus. Ecquis enim tempeſtate noſtra inuentus eſt, qui Epiſcopatum, & Archiepiſcopatum ditißimos, cum vita abſtinentißima, pauperrima, & humillima commutauerit? Ecquis

honores

honores & dignitates, quibus ille fulgebat, sponte sua abijciat, & ob Dei charitatem nihil magis faciat, quàm si in quemdam hominum contemptum veniat, si rebus omnibus ad benè, commodeq; viuendum opportunis, quibus maximè affluebat, se, suaque diuino cultui addicens, ex lauta, & commoda vita, in seueram, & difficilem se transferat? Ecquis denique ad supremum fere dignitatum apicem, ex summa humilitate euectus, honorificum Cardinalatus splendorem à se reiecit? Ecquis inuitus tandem productus? Porrò nisi ad antiquam illam Sanctorum Patrum memoriam recurramus, qui huiusmodi egregium Sanctitatis, probitatis, & humilitatis exemplum ediderit, hoc excepto, praeterea inueniemus his temporibus neminem. Accepit igitur tandem, quod sibi à magno Paulo oblatum est, non ignarus, Principibus obedientem esse oportere, adeòque ingentem amplissimo Patrum Collegio splendorem attulit, vt Sol quidam inter sydera repentè ortus videretur. Tunc religionis fundamentis aliquantulum debilitatis, verum, & solidum accessit firmamentum, Tunc qui de Religione, de Republica Christiana palam, vel occultè malè sentirent, languescere & deti-

& deterreri. Tunc qui non tam priuatis quibusdam aduersari, quam cum superis ipsis bellum gerere videbantur, more Gygantum labefactari, & impelli, Tunc qui ad eandem sectandam Hussensium, Valdensium, & eius generis portentorum impietatem, euertendamq; religionem, vel nouarum rerum cupidi, vel delirantes solliciti fuerant, mœreri, dolere, ingemiscere, pallescere, Tunc teterrimarum disputationum arma retundi, Tunc qui verbum quoduis minimum contra Religionem vnquam protulisset vel quoduis eiusmodi cogitasset, lingua & ingenio caruisse cupere; verebantur enim id quod postea fœlicissimè contigit, ne Cardinali Carafæ à summo Pontifice ad insectandos fidei Religionisq; inimicos cura demandaretur. Qui timor cum maleficos non fefellisset, & huic in crudeles Aduersarios fuisset demandatum Imperium, Is quàm primum nobilem illam sanctissimorum septem Virorum Congregationem more Lacedæmoniorum, & Athheniensium, Principis iussu instituit; ex qua tanquam ex equo Troiano, Doctores illi eximij improbos, nefarios, religionisq; contemptores adorirentur, & corriperent. Quæ quales viros, cuius vitæ, cuius doctrinæ, quàm spectatæ probitatis habeat, ex eo perspici liquidò potest, quòd duo

indè

inde sanctissimi subinde prouenère Pontifices, & qui reliqui sunt, non tam ipsi ex virtutibus eorum singularibus eundem Pontificatus apicē honestissime ac ferè certissimè sperare possunt quàm nos, post perpetem huius optimi Principis vitam optare debemus, & precibus à Deo immortali contendere. Hac igitur in Prouincia noster hic Princeps meritissimus, ita mirificum Religioni adiumentum attulit, vt nemo esset, qui tanti Viri & aliorum Collegarum nomine audito non extimesceret, non se totum colligeret, & perpauci quidem inuenti sunt, qui non tàm publicè à Religione dissentire ausi essent, quàm ne quidem diuinum nomen frustra nuncupare. Quod profectò haud aliunde euenisse credendum est, nisi vel quia tam graui vindice existente nullo in loco malefici, & improbi securos se esse posse existimarent, vel quia cum praclarissimorum Patrum tam clara exempla conspicerentur, non modò à vitijs abstinere, sed etiam nisi talium virorum tantum splendorem, virtutemq́; imitari contēderent, eorum in numero haberentur, qui, quantum animi virtus à vitio corporis differat, quantaue ex virtutis ornamento voluptas capiatur, penitus ignorent. Atq; vt rectius res tota intelligatur, nihil huius Serenissimi Principis vitam fore maculaturum,

ex multarum rerum argumentis colligi potest. In primis ex eo quòd non ignorans quantum oneris tunc tolleret, quantum in omnem vitam negotij susciperet, tamen inquisitionis normam Paulo III. annuente instituit. Legem enim (vt Principis oratoris verbis vtar) sibi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumq́ omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcũt, cuius quidem clarissimi facti nomine maximoperè ab omnibus & laudandus & diligendus est, qui non Rempublicã modo ab impiis & seditiosis liberauerit, verum etiam se eum futurum professus sit, cui necessaria quadam ratione officij, non solum rectè & honestè, sed sanctissimè sit viuendum.

Hæc è Cyno excerpsisse sit satis. Sed enim omnia quæ Cardinalis egregiè præstitit, si exponere velim, & multi non libenter audient (odiosa sunt enim; quia seuera & Religionis zelo patrata) & id profectò pro instituta breuitate non fuerit. Dicemus itaque de multis pauca, vt ex iis cætera compræhendantur.

Post institutã Romę vt dictum est, eius potissimum consilio atq; ope, violatæ fidei quæstionẽ, quam Christiani Imperii Propugnaculũ, & Petri Nauiculæ Anchorã rectè dixeris, ignis ille sancti zeli,

zeli, qui in pectore Carafæ iã diu latuerat, in dies magis ac magis crescere & flãmas emittere cœpit: inde in Apostatas, schismaticos, Hæreticosq; implacabile odiũ. Ex ijs nihilominus qui resipuissẽt tanta ab eo humanitate excipiebantur, vt amantissimum Patrẽ sibi reperiisse viderẽtur, quẽ ante acerrimũ insectatorẽ expauerant; vti Manfredus Jureconsultus apud Papiriũ *s* cũ laude memorat. *s* In vita Pauli IV. Contrà verò eos qui in luto praui dogmatis hærere obstinatius vellẽt, atq; alios studerent inficere, nullatenus tolerabat, illud Regii Vatis sæpè pronuncians; *t In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de Ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Et faciebat ille quidem more periti Medici, qui membrum quod reliquo corpori inferre potest exitium, piissimè sęuus, antequàm perditum eat, abscindit. Reuerà enim *u*

t Ps. 100.

u Sen. Herc. Fur.

Pectora magnis obsessa malis,
Non sunt ictu ferienda leui.

Quippè oui lasciuienti, & vagãti tutò fortassis parcas, & pedi vel vnico ac leui ictu ad ouile reducas; at lupis qui pergũt mactare oues & perdere, vt Pastor ignoscas, quęnã tandem dira ista clemẽtia est? Itaq; solerti prudentia opus esse arbitror, qua tabidæ oues distinguantur à lupis. Ea insigniter

prædictus Carafa, ita ſeueritatē benignitate temperabat, vt quid cui adhibendum foret, omnium ſciret optimè. Eximiam verò huiuſmodi ſanandorum animorum artem, & ſæpè aliâs & tunc maximè oſtendit, cum Foro-Cornelienſem Flaminium, depulſo mentis morbo, ſaluti veræ, quæ DEVS eſt, reſtituit. Is plurium linguarum & pangendi carminis inſigni peritia, ac probis alioqui Vir moribus inter litteratos ſui ſæculi eminebat. Amabat eum Carafa ob iſta virtutum ſemina, deceptumque hæreticorum perſuaſione hominē miſerabatur ex animo. Monet, inſtat, vrget; ille audit, at non obaudit tamen: adeò deprauatorum ſodalium contubernium mentem illi corruperat. At ipſe nihilominus Deum pro ſalute clientis enixius orare, ſpem atque animum neutiquam deſpondere. Contigit verò (commodùm) vt ille ægritudinem incurreret, quam eo dolētiùs Carafa tulit, quò tardiùs reſciuit: quippe & Flaminium decumbere, & haud procul à fine abeſſe, vno eodemque ſciuit tempore. Adit itaque illicò ad ægrotum, anxius mærenſque; & vt vidit hominem ſupremo iam anhelitu palpitantem, imō corde indoluit geminam clientis vitam tanto ſubeſſe

discrimi-

discrimini. Igitur nihil cunctandum ratus ad diuina confugit præsidia, & fixis humi genibus validâ & fidenti prece, vitam à Deo & salutem moribundo homini impetrauit. Obstupuerunt qui adstabant plurimi. Flaminius autem rem diuinitùs in se gestam, vbi primum conualuit, ad Hieronymũ Turrianum scribens præclaro hoc carmine celebrauit. *x* x lib. 5. Carminum.

Quid pia valeant preces, benignas
Ut Dei penetrent supremi ad aures,
Disce candide Turriane. Febris,
Et sæuus lateris dolor misellum
Tuum Flaminium furore tanto
Inuasêre, magistra vt ars medendi,
Et quisquis leuat ægra membra succus
Cederent: Capiti meo imminebat
Mors nigris tenebris operta: honorem
Supremum mihi funeris parabant
Infandum Veteris sui clientis
Cum casum miseratus ille magnus
Carafa, Italiæ decus Carafa,
Ad cœlum geminas manus tetendit,
Multis cum lacrimis Deum salute
Orans de mea. Et ecce acerba fugit

Febris & lateris dolor; refecta
Vires, & teneri mei sodales
Cantu, & letitia graues querelas
Mutarunt lacrimasq́. Amice dulcis,
Dic laudes superûm benignitati,
Pro vita mihi restituta, & aura,
Qua vehor placida. Quòd alma pulchri
Solis lumina cerno, id omne magni
Acceptum precibus refer Carafæ.

Vixit postea Flaminius annos aliquot, & Catholicè ac piè diē obiisse suum, vel ex eo cognosci potest, quòd receptis deuotè pœnitentiæ ac sacri Viatici Mysteriis, & constanter pronūciata Romanæ fidei formula, adstante & iuuante Carafa, animam spe bona cumulatam efflauerit. Rē mihi locupletissimus testis [y] hoc modo narrauit. Anno superioris sæculi quinquagesimo (eo enim Flaminius obiit, non autem quinquagesimo secundo, vt alij scribūt) ad moribundū Flaminium, qui tum non longè à Vaticano habitabat colle, Jacobus Herculanus Vaticanæ ædis (vt nunc loquimur) Altarista, Panem Angelorum emigranti porrecturus deferebat. Hūc Carafa, pressus licet profundo senio, cū omni sua familia pedibus, vti sole-

[y] Lud. Torr. Card.

ſolebat, proſequi voluit, præmonito interim ſacerdote, quâ ſe ratione cum Flaminio gereret. Ad eum itaq; cùm perueniſſent, Carafa ſe poſt terga ſacerdotis abſcondit, periculum facturus, num ægrotus fidem Catholicam integrè ac ſtrenuè fateretur. Ergo antequam ſacro illū Viatico Herculanus inſtrueret, fidem poſcit Catholicam. Ille extemplò ſymbolum recitat, liberè profeſſus ſe cum Orthodoxa Romanā Eccleſia omninò ſentire, in cuius gremio mori feliciùs ſit, quàm ab initio naſci. Tum Carafa ſacerdoti ad aurem inſuſurrat, vt præterea articulum Tranſubſtantiationis expoſcat, veritus ſcilicet, ne qui humanioribus litteris apprimè delectabatur, vocem illam ab Eccleſia ſalubriter inuentam, more hæreticorum qui putidè ſunt eleganculi, paululùm exhorreſceret. At ille, qui iam didicerat, nihil eſſe elegantius quàm quod Chriſti ſponſa probaſſet, illicò elata, vt poterat, voce, Tranſubſtantiationem iterauit. His auditis exiliens Carafa præ gaudio, ſeſe in conſpectū illius dedit, aſſeditq; agēti animam, ad vltimum vſque ſpiritū. Ad hunc itaq; modum bonus ſenex clientem ſuum Chriſto conciliauit. Plurimos alios fidei naufragium paſſos reduxit ad portum.

Ego

Ego verò ne paritate exemplorum sim fastidio, aut vbere materia Lectorem obruam, transeo ecce nunc ad summi Pontificatus eius acta aliquot insigniora, plausu certè ac laude dignissima. Omnia verò quæ Pontifex gessit, non est cur in hanc Vitæ eius synopsim concludere debeam. Plurima sunt, quæ vt Paulum prorsus excusem, mentemque eius synceram diuinique honoris sitientem aperiam, opus sanè est non neglectim aut obiter; sed prolixè accurateque exponere. Hoc autem nunc mihi (quod & initiò dixi) non est propositum: suo id tempore (fauente Deo) cumulatè præstabo, tunc scilicet cùm liberè potero, hoc est, sinè offensa cuiuspiam aut noxa. Enimuerò non semper facilè est Principis Viri vitam scribere, eius maximè z *quem pessimi quiq; asperrimè Rectorem passi sint.* Priuatus homo, vt paucis visus & nulli inuisus, tutò narrabitur; Reipublicæ iustum moderatorem, non sinent mali, stylo aut fama reuiuiscere, quē extinctum pronis auribus excepêre. Expectabo igitur, & iuuabit olim veritatem Tempus pater; atque exsurget in dies magis magisque benefactorum eius aura, quæ frigerando aduerso rumori, aut liuori, valdè, vt spero, pro-

z Sallo rat. ad Cæs.

proficiet. *Nulla enim virtus* (Seneca ait) a *semper* ᵃ Ep.79. *latet: & latuisse non ipsius est damnum. Veniet qui conditam & sæculi sui malignitate compressam dies publicet.* Interea duo ex illius temporis Historia, Lector colligat. Primum est, ad turbandam Italię pacem, Paulum, pacis alioqui, vt postea patuit, amantissimum, hinc quorumdam indignis modis, hinc quorumdam inconsultis consiliis fuisse impulsum. Alterum est, sustulisse eum seriò, nec tamen omnino serò, ea incommoda, quæ vel se prorsus nolente, vel optimâ fide agente, Vrbs atque Italia passa fuerat. Hæ quippè spinæ, Pauli lectam sementem, primis illis annis, si non suffocauerunt certè retardarunt, ne in optatam frugem citiùs erumperet. Vidit id Paulus tandem, & altiore iudicio, non tam suos ex fratre Nepotes, aut alios homines, quàm Dæmones ipsos huius detrimenti autores existimauit. Ita enim magno illi Hosio scripsit, cum ad Concilium, quod Romam cogere decreuerat, ipsum euocaret. Ita etiam Oratori Veneto, coràm & secretò dixit; vti è subiectis litteris nunc patebit.

Pavlvs Papa IV.

VENERABILI FRATRI STANISLAO Episcopo Variniensi Sal. et Apost. Benedictionem.

c Habentur hæ duæ Epistolæ To 2. Operum Hosii, Ep 18. & 19.

c Venerabilis Frater, *Ad hoc, grauissimũ Sacerdotij munus, sine vllis meritis nostris à Domino vocati, propositũ hoc nobis iam inde ab initio habuimus, vt ægrè & grauiter laboranti Ecclesiæ idonea & maximè necessaria remedia adhiberemus. Quamobrem & filiorum mores corrigere, atque omnia quæ prauis iampridem exemplis in consuetudinem adducta fuerunt, & hæreses tã longè lateq́; disseminatas extirpare, & harum rerum caussâ Concilium celebrare, Deo adiuuante, statuimus. Cum autem iam oportunum tempus sit hæc consilia exequendi, sublatis scilicet belli impedimentis quæ nobis antiquus hostis obiecerat, optimum esse duximus, priusquam Synodum congregemus, aliquot Venerabilium fratrum nostrorum accersere, quorum & consilium & operam ad eadem exequenda cum primis vtilia nobis fore arbitramur. &c.* ***

Alteris item ad eundem Hosium litteris, idipsum asserit hisce verbis.

Venerabilis Frater, *Simulac à bellicis tumultibus,*

quos

quos Inimicus ad impediēda nostra pia salutariaq́, consilia nobis obiecerat, Dei fuimus auxilio liberati, animum & curam omnem nostram ad ea exequenda retulimus. * * * * *

EX EPISTOLA BENRARDI NAVAGERII AD DVCEM ET SENATVM Reipublicæ Venetæ.

EXcellentissimi Domini,&c. *Dixit mihi Pontifex: Magnifice Orator, Pauca tibi significabimus: nondum enim certiores facti sumus nostrum legatum in Galliam appulisse. Altera autem ex parte, scripta ad nos fuêre ea tantummodo, quæ ad primos nostri Cardinalis cum Philippo Rege Catholico congressus pertinent, & quam honorifice Rex eum exceperit, quamq́, multa demißi sui erga nos animi signa exhibuerit. Quarum rerum gratißima est nobis recordatio. Arbitramur autem Dæmonis arte fuisse excitatas præteritas discordias, & tumultus bellicos, ne scilicet coniunctis viribus animisq́, cum eo Rege, vt cupiebamus in profligandos hæreticos incumberemus* ** *Romæ* XVIII. *Cal Februarij. 1557.* Ex Italico.

Hæc ille verè & sincerè pronunciauit. Quid enim aliud quàm Satanę rabies fuit, quę sub adeò

Piis Religiosisq; Principibus, Paulo, Carolo Philippo, Henrico tantas vndiq; conciuit turbas? Quod si qui sunt qui Pontificem, quòd suis propinquis nimium fiderit, aut crediderit, accusent, indeque multas calamitates ortum habuisse asserant, ijs ego illud Plancianum *d* oggeram; *Credulitas, error magis quam culpa est; & tamen in optimi cuiusq; mentem facile irrepit.* Addo his grauissima verba Gregorii Magni, *e* quibus Beatum Symmachum prædecessorem suum excusat, quod Aulicorum calumniis aduersus sanctissimum Abbatem Equitium fidem præbuisset. *Cuiusq;*, inquit, *Præsulis mentem curarum densitas vastat: cumq; animus diuiditur ad multa, fit minor ad singula.* Memini his ipsis verbis ab eximio illo atque integerrimo Cardinali Baronio. Paulum IIII. quem non nisi sanctissimum appellabat, aliquando fuisse excusatum. Huc etiam facit memorabile Diocletiani dictum, illius inquam Diocletiani, qui in Christianos sæuus quidem & impius, nihilominus belli pacisque artibus clarus fuit. Is, referente Vopisco, *f* dicebat, *Nihil esse difficilius, quàm benè imperare. Colligunt se*

qua-

d Cic. ep. 157.

e Dial. lib. 1. c. 4.

f Vopisc. in Vitt. Dioclet.

quatuor, vel quinq; atque vnum consilium ad capiendum Imperatorem capiunt. Dicunt quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantùm scire quod illi loquuntur: facit Iudices quos non oportet: amouet à Repub. quos debeat obtinere. Quid multa? Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Hæc ille verè & sapienter. Paulum verò nostrum, propinqui atque Administri, arbitror, non quòd decipere prorsus vellent, deceperunt; sed quòd se ipsos antea, miseri, præcipiti consilio decepissent. Quippe quam illi putarant optimam, necessariamque tuendæ Pontificiæ dignitatis rationem, eandem tempus euentusque ostendit, fuisse pessimam: Adeò Liuianum illud verum est: g *Consilia callida & audacia, prima specie læta esse: tractatu dura; euentu tristia.* Verumenimuerò, siue hominum studia, siue Dæmonum subdolæ artes aliquandiu retardarint Sanctissimum Pontificem à reformatione corrupti Orbis, omnia tamen auocamenta, in irritum denique per Dei gratiam reciderunt. Nam Paulus, quod reliquum vitæ habuit, abiectis cæteris omnibus curis, in vnam

g Liu. lib 35.

Catholicam fidem reparandam, amplificandum-que Christi gregem, expendit: & tanta is breuissimo tempore præstitit, quanta ex Epistola quam subijcimus, conijcere Lector potest. Hanc illi scripsêre è nostro Ordine Patres, qui anno superioris seculi LIX. Romæ erant. Inter quos primarij proculdubio Jeremias Isachinus, Pontifici à Cubiculo atque à secretis, & Andreas Auellinus, extiterunt: ambo religionis zelo & vitæ sanctitate conspicui. Describunt autem præclara Pauli IV. facinora, quæ reddita Orbi pace, & eiectis domo atq; Vrbe propinquis, hoc est carne ac sanguine proculcatis, strenuè sapienterque patrauit. Has porrò litteras aliquantulũ vetustate corrosas, & grauissimi P. N. Vincentij Massi autographo cõmunitas, anno superiore, inter schedias integerrimi senis Laurentii à Valentibus fortuitò repperimus. Eas nunc ex Jtalico in latinum translatas hic damus. Fruere sincere Lector, & Præsulem illum Magnum, qui magna hæc gessit, suspice, & venerare.

Reuerende Pater.

Ex Itali a. Pax Christi, &c. *Rationi quidem consentaneum visum*

visum est, ad Dei & Domini nostri gloriã amplificãdã cõmunicare tecũ Reuerende Pater, & aliis itẽ, quibus tibi visum fuerit, hæc referre, Lætitiam istam, qua proximis hisce mensibus Diuina bonitas nos afficere dignata est, quamq́; in dies augere pergit è summi Põtificis nostri probè ac præclarè gestis. Etenim existimãdum est, vel quòd sedatis quibusdam perturbationibus rerumq́; motibus, pristinus mentis eius cãdor, qui olim latuerat nunc palam cernitur: (quæ piorum hominum est sententia) vel quòd (vti vel maleuoli opinantur) Deus ille qui Paulũ, vt suas in terris vices ageret, elegit, postremo hoc tempore cor eius efficaciter pupugerit. Deniq; adeò ille firmè animatus incensusq́; est ad emendandos corrigendosq́; Ecclesiæ mores; ac tales animi sui significationes præbere incipit, vt etiã ij quibus superiorum iniquitate successuum exasperatis haud facilè boni quidpiam persuaderi potuisset, nunc spem magnam paulatim concipiant, Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, egregiâ tãdem ac singulari suam Ecclesiã misericordiâ prosecuturũ. Adeò namq; corda hominum diuinitùs immutata perspicimus, vt si ante hac, etiam probi homines, acerbiusculè de tanto Pontifice sentiebant, nunc magni eũ æstiment, impensè diligant, & incredibili quodam

affe-

affectu, Deo diligentissimè commendent, vel ob id maximè, quod viderint id omnium primùm reformare cœpisse, quod ante omnia reformandum graues Viri meritò existimabant, suam videlicet domum, Aulã, Curiam, & Ecclesiasticam ditionem. Enimuerò iam vos audiuisse arbitror, Summum hunc Sanctissimumq́; Pontificem tres suos ex fratre Nepotes, domo Vrbeq́; exegisse, scilicet Cardinalem Carafam, Ducem Palliani, & Montisbelli Marchionem, vnà cum vxoribus, liberis ac domesticis omnibus; iussisseq́; Cardinali, ne Oppidulo quodam Vrbi vicino, quò eum ablegauit, excedat; aiuntq́; hominem non amplius nepotari, sed probè admodum, & vti Christianum condecet, vitam inibi agere. Duobus item reliquis suum cuique assignauit locum, quos omnes, antequam à se depulisset, iam Magistratibus, cunctisq́; honoribus, quibus in Ditione Ecclesiastica pollebant, exuerat. Et licet aliqui Cardinales, se pro ijs apud Sanctissimum D. N. deprecatores exhibuerint, arbitrantes conceptam indignationem breui restinguendam, & insitam erga propinquos caritatem facilè successuram, longè tamen opinione falluntur. Pontifex enim non leuiter aut temerè in ea re se gessit, sed consideratè, constanterq́; ac puro prorsus spiritua-

tualiq;

tualiq; Justitiæ & diuini honoris zelo, carnem & sanguinem inuictè proculcans. Tametsi autem neminem delectare debeant alienæ calamitates atq; ærumnæ; nobis verò minime omnium, quippe qui tribus ijs, quos iam dixi, Summi Pontificis ex fratre nepotibus, ob eorum eximiam erga nos beneficentiam, singulariter deuincti sumus, non debet tamen fraudari laude sua excelsi animi Deiq; vnius gloriam amantis rectitudo, quæ in Christi Vicario cernitur. Porrò licet humano ducti sensu iudicioq; nonnulli censeant, has disiunctiones non diu duraturas, reuerà tamen falluntur, neque ij Pontificis ingenium, moresq; videtur agnoscere: quæ tamen omnia tẽpus olim palàm ostendet. Itaq; posteaquam Pontifex vsque adeò naturalẽ erga propinquos amorem superauit, in alterum veluti migrasse orbem, & vt ipsemet ingenuè fatetur, nunc primùm iniisse Pontificatum sibi visus est: Amplissimaq; eius dignitatis administrationem, eiusq; negotia hactenus gesta, vtpotè alijs maxima ex parte antè cõcredita, alijs debere tribui: quæ vero deinceps fient, se facturum, dixit; sibiq; quæ bene aut secus accident, adscribenda. Igitur exinde, longè cœpit crebrius atque antè fecisset, publicè priuatimque audientiam præbere, semel verò singulis mensibus, vt ad se turmatim

Vulgus omne liberrimè confluat, instituit: præcipiens ne quis quemquam vel è vili plebecula ad se adeuntē submouere audeat, aut aliqua ratione impedire, quin liberè quisque, quid sibi negotij sit, exponat. Rebus omnibus moderandis statuendisq́ tres primarios Viros, summa cum potestate præfecit, scilicet Tranensem & Spoletanum Cardinales, & Camillum Vrsinum, Proceres certè eximiè probos & insignis exempli. Sæpè verò conqueritur de suis amicis Cardinalibus, qui suorum Nepotum acta sibi non reuelauerint, ipsoq́ etiam facto demonstrat, alieno se prorsus esse animo ab ijs, qui quæ illi patrauerunt, se clam habuerint. Nec quidem immeritò, reuera enim omnia quæ hactenus incommodè grauiterq́ acciderunt, lōgè secus ac sese haberent ad eum deferebantur. Præsides itaque Præfectosq́ Bononiæ, Perusiæ, aliarumq́ multarum Piceni Vrbiū, amotis veteribus, nouos creauit, iussitq́ vt hi illos aut in vincula conijcerent, aut repetundarum anquirerent. Denique multas & magnas in melius factas esse rerum huiusmodi mutationes, in comperto est.

Præterea animaduertens Sanctus Pater, Ecclesiæ ditionem exactionibus variè afflictam vexatamque, nonnulla Vectigalia exemplò tolli iussit & antiquari, tam-

ri, tametsi in summa difficultate nummaria constitutus, atque ære alieno grauatus. Quo sanè facto ingentem populi capere lætitiam, eoq; demirati sunt magis, quod Pontificium Ærarium penè exhaustum scirent. Sed is vetus Pontificis mos fuit, priuatæ rei suæ detrimenta parui pendere; quippe qui ex quo Apostolicam Sedem insedit, nihil ex Officio, quod Dataria vocant, percipere voluit, è quo tamen olim annuo fructu centena quinquagena aureorum millia Pontificibus prouenère. Magistratus item multos, vt Clericatus, quos vocant Cameræ, Vicena millia aureorum vendi solitos, gratis elargitus est, eo facto, vel in maxima pecuniæ caritate, non obscurè significans, eiusmodi administrandi iuris Potestates, non in emptores, Licitatoresue, qui quod in ijs emendis expenderint, per fas & nefas extorqueant, sed in eos collocari debere qui ius suum cuique tribuere cum primis intenderent. Quocirca, neque alijs permittit, vt eiusmodi publici muneris Præfecturas (quod tamen antea fieri solebat) diuendere possint. Ipse interim sui Palatij immodicas impensas attenuando, incipit æs alienum resoluere; inutilibus scilicet seruitijs militibusque turmatim dimissis exactisq;. Fratrem suum eodem

parente, sed non legitimè natum, Molis Adriani præfecturâ submouit. Matthæo item Stendardo ex Sorore Nepoti, alijsque propinquis gentilibusq; suis, iussit, Vrbe excederent: ijs verò quos domi secum retinuit, grauiter, vti percœpimus, commonefactis, vt vitam rectè instituere satagant, protestatus, si quid posthac deliquerint, se quidem nullâ sanguinis ratione habita, septuplum reposciturũ pœnas. Cũ cognouisset Pontifex quædam Apostolici Palatij cubicula scortationib. lasciuisq; actibus fuisse contamitata, voluit vt Templorũ instar pollutorum, sacris ritibus repurgarentur. Quendam præterea Cubicularium duosq; alios flagitij participes, quòd in Sacrum Palatium mulieres introduxissent, conuictos, in carcerem trudi, mox remigio mancipari iussit. Quod certè factum nobis, qui superiorum temporum nefariam licentiam consideramus, magna est laudandi Diuini Numinis occasio, quòd Romæ scilicet triremium pœna puniendi censeantur ij, qui mulierculas in Sacrum Palatium induxerint. Per hos item dies cum inaudijsset Sanctißimus Pontifex Antistitem quendam, domi suæ meretriculam clam habere, hanc in vincula conijci, tum virgis publicè cædi voluit; illum verò in Molem Adriani ad perpetuum carcerem, trimestri insuper

per

per ieiunio, pane solo & aqua concessis, macerandum, atque Episcopatu, vt multorum suspitio est, prorsus priuandum, trusit. Impetret, quæso Beatus Apostolus Petrus huic successori suo constantiam, fortitudinemq; sanctè cœpta, feliciter perficiendi, vt domum suam, Curiam, Vniuersamq; Ecclesiam, perpurgare deinceps pergat. Amen.

Par item solatiũ percœpimus, ob egregia per eum Iustitiæ exempla in pœdicones & cõcubinarios quosdam edita. Illos quippe cum antea ad violatæ fidei Iudices deferri iussisset, igni tradi præcepit: hos autem seuerissimis edictis coercuit. Prostituti item pudoris feminas, quæ quæstum corpore faciunt, vt separatim degant, sancire meditatur, ne scilicet honestas mulieres Virosque inter quos hactenus corruptissimè vixerunt, deinceps per prauum exemplum inficiant. Et huic quidem morbo is ipse Pontifex iam olim antidotum afferre cœperat. ac proinde, ex eo facilè nosse quisque iam potest, quantum virtutis & honestatis incrementum, atque impietatis & scelerum decrementum, per eiusmodi sanctiones legesque factum fuerit. Laus Deo.

Vsuras etiam diligentissimè sustulit, nam eas quæ prætextu Societatum Officiorum, committebantur,

salubri lege inhibuit: Iudæisq́; olim permisso fœnori, ne nimis in dies accrescat, modum adhibuit. In Simoniacos contractus iam antea Motu (vti loquuntur) proprio, seuerè appositèque cauerat: tametsi Ministrorum quorundam culpa perperam exequentium quod bene Princeps iusserat, ea Pestis nondum extincta erat: Nunc verò, submotis hisce impedimentis, res feliciùs procedit, maiorq; speratur in dies eiusmodi noxæ correctio.

Quod verò attinet ad Religionis Catholicæ puritatē conseruādam, singularis certè in ea re Pontificis zelus enituit &, præcipuè in S. Inquisitionis Tribunali egregiè reparādo, Cui, vt esset augustius sanctiusq; cum Summa potestate præfecit vnum è Purpuratorū numero Patrū, eiq; alios Collegas atq; Administros adiunxit. Hac nunc ratione adeò fides Catholica instaurata est, vt Hæreticum virus, quod in ipsa Italiæ passim serpebat, extinctum, multiq; eo correpti sanati sint.

Per hos etiam dies, inopiam numorum strenue superans, amplas Romæ Ædes, vbi is Magistratus cōmodè exerceretur, ædificandas curauit, inchoandoq; ædificio, XII. Millia aureorum, vti ferunt, attribuit. Et verò quàm diligenter in hoc opus incumbat, nemo

non

non nouit. Nec quidẽ immeritò; Scit enim Optimus Pontifex id maximi referre ad conseruandã in omni Italia Orthodoxam Religionem. Quin etiam vt in Hispania praui dogmatis Quæsitio magis ac magis roboretur, magnam pecuniæ vim contulisse, grauium virorum relatu audiuimus.

Fuit item Christianæ Reipub. valdè proficua prohibitio librorum quos hæretici impijque Autores siue Impressores ediderant, curaq́ue quam Pontifex adhibet, vt libri prauis Scholijs, Notisue infecti, fœdatiq; perpurgentur: Gens enim ista prorsus misera, in errores impietatis immersa, callidè studuit, mixtum saccaro venenum, hoc est prauam cum recta doctrinam Lectoribus instillare. Idque malum non solum libris Ecclesiæ Doctorum hæserat: sed in ipsis etiam diuinis Codicibus, ad incautos animos decipiendos, Heretici homines laqueos absconderant. Quamquam verò durum initiò visum sit, vt se quisque eiusmodi libris priuaret, longè tamen priuato dãno huiusmodi, publica vtilitas præponderat. Breui itaque cum Dei auxilio, speramus, Sacra Doctorum Ecclesiæ Commentaria, Diuinasq́ue litteras, atq; adeò omne genus libros, prauo dogmate purgatos, nobis fore reddẽdos. Qua quidẽ re nihil melius hac tẽpestate

optari

optari poterat. Cohibitæ etiam fuère Diuinationes, Veneficia, Incantationes, Superstitiones omnes, quæ Hæresum sunt nutriculæ, quibus hæc Urbs antea scatebat pernitiosissimè. Quadragesimalia itē ieiunia hic frequentissimè violabantur; eoque Primariæ Urbis exemplō, vicina opida ad id peccatum inuitabantur: passimque non ieiuniorum modò violatio, sed carnis aliorumque ciborum, per id tempus vetitorum esus fœdè irrepserat. Nunc verò è contra per Dei gratiam fit: Ieiunium Quadragesimale sanctè seruatur, nullus ciborum abusus permittitur: ijs autem quibus antea vix persuaderi poterat istius solennis ieiunij obseruatio, facto nunc experimento, id ita bene eis succedit, vt non facilè solum, sed alacriter etiam ieiunent; quorum in numero sunt etiam nobiles quidam, delitiisque adsueti homines, qui periculo iam facto nouerunt, ijs qui bene pijs rebus affecti sunt, non esse grauia Ecclesiæ præcepta. Summi præterea Quæsitoris edicto cautum est, ne quid in omni ditione Ecclesiastica carnium, vetitorumq; huiusmodi ciborum venum prostet, nisi obtenta Præsidentium facultate ad alendos scilicet ægrotos. Cum autem is ipse adeò affecta ætate & valetudine Pontifex (quippe qui octuagesimum tertium annum nunc agat) exactè, & seuerè ieiunet,

atque

atque à carnium esu statis diebus abstineat, tale de se exemplum cæteris præbet, vt suauis propemodum iam facta sit ieiunij obseruatio.

Maior etiam reuerentia cultusque Sacris Templis accessit, ijs præsertim, in quibus stationes celebrari solent, amotis scilicet distractionum occasionibus, quæ proueniebant, tum ex mulierculis, quas viri, dum ad Sacras ædes pergerent, parum honestè comitabantur, tum etiam ex pauperum, aut auarorum sacrificulorum mendicabulis, qui cũ magno Ordinis dedecore, ijs in locis stipem pro Missis celebrandis publicè efflagitabant; easque postmodum Missas non minore cum dedecore celebrabant. Itaque non solùm huic fœdæ Eleëmosynarum petitioni, sed indecoræ etiam Missarum celebrationi obuiam itum est, exteris omnibus qui specialem facultatem sibi scripto factam (quæ tamen gratis, & cum delectu conceditur) non ostenderint, celebratione interdictis. Repressæ item fuerunt deambulationes intra sacra templa ante Sanctissimum, Eucharistiæ Sacramentum, Christiq; Domini imagines. Porrò ea à Diuino Numine iniecta est in humanos animos reuerentia erga Summum Pontificem, atque eius præceptorum violandi timor, vt quidquid ab eo statuitur, tanquam à Deo

K ipso

ipso profectum, excipiatur. Et licet clã nõnulli obmurmurent, haud tamen obedire detrectant. Itaq; Vrbis facies alia prorsus est ab ea, quam præterita ætate præ se ferebat. Laus Deo.

Plurimùm etiam profuit alia quædam cautio prouisioq;, quam in Bullato Diplomate, superiore anno contra Apostatas edito cernere licuit. Eximij certè ex ea fructus emanarũt, quia non solùm multi praui eiusmodi Administri, qui rapacissimæ & fœdissimæ vitæ exemplo, ceteris erant offensioni atq; scandalo, ecclesia iam non habet; sed ipsismet Religiosæ vitæ desertoribus seuera illa Sãctio salubriter cessit, plurimis eorum ad Monasteria è quibus flagitiosè exiuerant, reuersis, ibiq; Maiorum eos imperio coërcente, cõtrâ quàm antea fecissent, Monasticas leges obseruantibus: alijs item vel in ergastula vel in triremes deditis: quibus locis etsi pœnas ipsi luunt, alijs non nocent tamen. Omnino licet hoc pharmacum acerbius amariusq; visum plerisq; sit, sontico tamen morbo nequaquam lenius aut mitius adhibendum fuerat.

Ab Vrbe item Roma, ac ceteris ecclesiasticæ ditionis ciuitatibus oppidisq; magnũ sanè Sanct9 Pastor abstulit malorum seminarium, iubẽdo, vt Christianis Iudæi posthac nullatenus misceantur. Ea enim cohabitatione aut consuetudine disparis cultus gen-

tium,

tium, peruerti non nemo Christianorum poterat, & à Catholica fide desciscere; vel saltem (quod inficiari nemo poterit) eiusmodi commercium non sine Christiani nominis dedecore intercedebat.

Quo circa post editam à Summo Pontifice Sanctionem qua praecepit, vt Iudaei ad vnũ omnes, separatim in Vrbis angulo habitent, palamq; signum deferant, quò à Christianis facilè internoscãtur, vt viri scilicet pileos, foeminae velamina glauci coloris gerant, neué ad seruitia aliqua Christianos adhibeant; neué praedia aut alia stabilia bona possideant, neué mercimoniũ nisi vulgare, & ad Scrutarios Sarcinatoresq; spectans, deinceps exerceãt: neué quis ab hac lege nullo vnquam praetextu aut temporis diuturnitate eximi queat, post editum inquam hoc Sacri Principis Decretum, praeter ea quae nuper narrauimus commoda, multos Hebraeorum in Ditione Pontificia degentium, Christianam fidem passim amplecti percipimus.

Petri etiam Sedem per ambitum aucupantes (quae labes multos iã è Purpuratis infecerat) seuerâ Sanctione coërcuit. Itaq; nunc ij circũspectiùs agunt: neq; ambire solummodo cauent, sed ne mutire quidẽ de futuri Pontificis electione audent. O rem plane dignam, ob quam Deus valdè laudetur? Omninò cautè quisq; vitare periculum studet, nè, quod nonnullis

Vulgus omne liberrimè confluat, instituit: præcipiens ne quis quemquam vel è vili plebecula ad se adeuntē submouere audeat, aut aliqua ratione impedire, quin liberè quisque, quid sibi negotij sit, exponat. Rebus omnibus moderandis statuendisq́; tres primarios Viros, summa cum potestate præfecit, scilicet Tranensem & Spoletanum Cardinales, & Camillum Vrsinum, Proceres certè eximiè probos & insignis exempli. Sæpè verò conqueritur de suis amicis Cardinalibus, qui suorum Nepotum acta sibi non reuelauerint, ipsoq; etiam facto demonstrat, alieno se prorsus esse animo ab ijs, qui quæ illi patrauerunt, se clam habuerint. Nec quidem immeritò, reuera enim omnia quæ hactenus incommodè grauiterq́; acciderunt, lōgè secus ac sese haberent ad eum deferebantur. Præsides itaque Præfectosq́; Bononiæ, Perusiæ, aliarumq́; multarum Picæni Vrbiū, amotis veteribus, nouos creauit, iußitq; vt hi illos aut in vincula conijcerent, aut repetundarum anquirerent. Denique multas & magnas in melius factas esse rerum huiusmodi mutationes, in comperto est.

Præterea animaduertens Sanctus Pater, Ecclesiæ ditionem exactionibus variè afflictam vexatamque, nonnulla Vectigalia exemplò tolli iußit & antiquari, tam-

ri, tametsi in summa difficultate nummaria constitutus, atque ære alieno grauatus. Quo sanè facto ingentem populi capere lætitiam, eoq; demirati sunt magis, quod Pontificium Ærarium penè exhaustum scirent. Sed is vetus Pontificis mos fuit, priuatæ rei suæ detrimenta parui pendere; quippe qui ex quo Apostolicam Sedem insedit, nihil ex Officio, quod Dataria vocant, percipere voluit, è quo tamen olim annuo fructu centena quinquagena aureorum millia Pontificibus prouenère. Magistratus item multos, vt Clericatus, quos vocant Cameræ, Vicena millia aureorum vendi solitos, gratis elargitus est, eo facto, vel in maxima pecuniæ caritate, non obscurè significans, eiusmodi administrandi iuris Potestates, non in emptores, Licitatoresue, qui quod in ijs emendis expenderint, per fas & nefas extorqueant, sed in eos collocari debere qui ius suum cuique tribuere cum primis intenderent. Quocirca, neque alijs permittit, vt eiusmodi publici muneris Præfecturas (quod tamen antea fieri solebat) diuendere poßint. Ipse interim sui Palatij immodicas impensas attenuando, incipit æs alienum resoluere; inutilibus scilicet seruitijs militibusque turmatim dimißis exactisq;. Fratrem suum eodem

parente, sed non legitimè natum, Molis Adriani præfecturâ submouit. Matthæo item Stendardo ex Sorore Nepoti, alijsque propinquis gentilibusq; suis, iussit, Vrbe excederent: ijs verò quos domi secum retinuit, grauiter, vti percœpimus, commonefactis, vt vitam rectè instituere satagant, protestatus, si quid posthac deliquerint, se quidem nullâ sanguinis ratione habita, septuplum reposciturũ pœnas. Cũ cognouisset Pontifex quædam Apostolici Palatij cubicula scortationib. lasciuisq; actibus fuisse contamitata, voluit vt Templorũ instar pollutorum, sacris ritibus repurgarentur. Quendam præterea Cubicularium duosq; alios flagitij participes, quòd in Sacrum Palatium mulieres introduxissent, conuictos, in carcerem trudi, mox remigio mancipari iussit. Quod certè factum nobis, qui superiorum temporum nefariam licentiam consideramus, magna est laudandi Diuini Numinis occasio, quòd Romæ scilicet triremium pœna puniendi censeantur ij, qui mulierculas in Sacrum Palatium induxerint. Per hos item dies cum inaudijsset Sanctißimus Pontifex Antistitem quendam, domi suæ meretriculam clam habere, hanc in vincula conijci, tum virgis publicè cædi voluit; illum verò in Molem Adriani ad perpetuum carcerem, trimestri insuper

per

per ieiunio, pane solo & aqua concessis, macerandum, atque Episcopatu, vt multorum suspitio est, prorsus priuandum, trusit. Impetret, quæso Beatus Apostolus Petrus huic successori suo constantiam, fortitudinemq; sanctè cœpta, feliciter perficiendi, vt domum suam, Curiam, Vniuersamq; Ecclesiam, perpurgare deinceps pergat. Amen.

Par item solatiũ percœpimus, ob egregia per eum Iustitiæ exempla in pædicones & cõcubinarios quosdam edita. Illos quippe cum antea ad violatæ fidei Iudices deferri iussisset, igni tradi præcepit: hos autem seuerissimis edictis coercuit. Prostituti item pudoris feminas, quæ quæstum corpore faciunt, vt separatim degant, sancire meditatur, ne scilicet honestas mulieres Virosque inter quos hactenus corruptissimè vixerunt, deinceps per prauum exemplum inficiant. Et huic quidem morbo is ipse Pontifex iam olim antidotum afferre cœperat. ac proinde, ex eo facilè nosse quisque iam potest, quantum virtutis & honestatis incrementum, atque impietatis & scelerum decrementum, per eiusmodi sanctiones legesque factum fuerit. Laus Deo.

Vsuras etiam diligentissimè sustulit, nam eas quæ prætextu Societatum Officiorum, committebantur, salu-

salubri lege inhibuit: Iudaeisq́; olim permisso faenori, ne nimis in dies accrescat, modum adhibuit. In Simoniacos contractus iam antea Motu (vti loquuntur) proprio, seuerè appositèque cauerat: tametsi Ministrorum quorundam culpa perperam exequentium quod bene Princeps iusserat, ea Pestis nondum extincta erat: Nunc verò, submotis hisce impedimentis, res feliciùs procedit, maiorq; speratur in dies eiusmodi noxae correctio.

Quod verò attinet ad Religionis Catholicae puritatē conseruãdam, singularis certè in ea re Pontificis zelus enituit &, praecipuè in S. Inquisitionis Tribunali egregiè reparãdo, Cui, vt esset augustius sanctiusq; cum Summa potestate praefecit vnum è Purpuratorũ numero Patrũ, eiq; alios Collegas atq; Administros adiunxit. Hac nunc ratione adeò fides Catholica instaurata est, vt Haereticum virus, quod in ipsa Italia paßim serpebat, extinctum, multiq; eo correpti sanati sint.

Per hos etiam dies, inopiam numorum strenue superans, amplas Romae Ædes, vbi is Magistratus cōmodè exerceretur, aedificandas curauit, inchoandoq; aedificio, XII. Millia aureorum, vti ferunt, attribuit. Et verò quàm diligenter in hoc opus incumbat, nemo

non

non nouit. Nec quidẽ immeritò; Scit enim Optimus Pontifex id maximi referre ad conseruandã in omni Italia Orthodoxam Religionem. Quin etiam vt in Hispania praui dogmatis Quæsitio magis ac magis roboretur, magnam pecuniæ vim contulisse, grauium virorum relatu audiuimus.

Fuit item Christianæ Reipub. valdè proficua prohibitio librorum quos hæretici impijque Autores siue Impressores ediderant, curaquẽ quam Pontifex adhibet, vt libri prauis Scholijs, Notisue infecti sædatiq; perpurgentur: Gens enim ista prorsus misera, in errores impietatis immersa, callidè studuit, mixtum saccaro venenum, hoc est prauam cum recta doctrinam Lectoribus instillare. Idque malum non solum libris Ecclesiæ Doctorum hæserat: sed in ipsis etiam diuinis Codicibus, ad incautos animos decipiendos, Heretici homines laqueos absconderant. Quamquam verò durum initiò visum sit, vt se quisque eiusmodi libris priuaret, longè tamen priuato dãno huiusmodi, publica vtilitas præponderat. Breui itaque cum Dei auxilio, speramus, Sacra Doctorum Ecclesiæ Commentaria, Diuinasquẽ litteras, atq; adeò omne genus libros, prauo dogmate purgatos, nobis fore reddẽdos. Qua quidẽ re nihil melius hac tẽpestate

optari

atque à carnium esu statis diebus abstineat, tale de se exemplum cæteris præbet, vt suauis propemodum iam facta sit ieiunij obseruatio.

Maior etiam reuerentia cultusque Sacris Templis accessit, ijs præsertim, in quibus stationes celebrari solent, amotis scilicet distractionum occasionibus, quæ proueniebant, tum ex mulierculis, quas viri, dum ad Sacras ædes pergerent, parum honestè comitabantur; tum etiam ex pauperum, aut auarorum sacrificulorum mendicabulis, qui cũ magno Ordinis dedecore, ijs in locis stipem pro Missis celebrandis publicè efflagitabant; easque postmodum Missas non minore cum dedecore celebrabant. Itaque non solùm huic fœdæ Eleëmosynarum petitioni, sed indecoræ etiam Missarum celebrationi obuiam itum est, exteris omnibus qui specialem facultatem sibi scripto factam (quæ tamen gratis, & cum delectu, conceditur) non ostenderint, celebratione interdictis. Repressæ item fuerunt deambulationes intra sacra templa ante Sanctissimum, Eucharistiæ Sacramentum, Christiq; Domini imagines. Porrò ea à Diuino Numine iniecta est in humanos animos reuerentia erga Summum Pontificem, atque eius præceptorum violandi timor, vt quidquid ab eo statuitur, tanquam à Deo

ipso profectum, excipiatur. Et licet clã nõnulli obmurmurent, haud tamen obedire detrectant. Itaq; Vrbis facies alia prorsus est ab ea, quam præterita ætate præ se ferebat. Laus Deo.

Plurimùm etiam profuit alia quædam cautio prouisioq;, quam in Bullato Diplomate, superiore anno contra Apostatas edito cernere licuit. Eximij certè ex ea fructus emanarũt, quia non solùm multi praui eiusmodi Administri, qui rapacissimæ & fœdissimæ vitæ exemplo, ceteris erant offensioni atq; scandalo, ecclesia iam non habet; sed ipsismet Religiosæ vitæ desertoribus seuera illa Sãctio salubriter cessit, plurimis eorum ad Monasteria è quibus flagitiosè exiuerant, reuersis, ibiq; Maiorum eos imperio coërcente, cõtrâ quàm antea fecissent, Monasticas leges obseruantibus: alijs item vel in ergastula vel in triremes deditis: quibus locis etsi pœnas ipsi luunt, alijs non nocent tamen. Omnino licet hoc pharmacum acerbius amariusq; visum plerisq; sit, sontico tamen morbo nequaquam lenius aut mitius adhibendum fuerat.

Ab Vrbe item Roma, ac ceteris ecclesiasticæ ditionis ciuitatibus oppidisq; magnũ sanè Sanctꝫ Pastor abstulit malorum seminarium, iubẽdo, vt Christianis Iudæi posthac nullatenus misceantur. Ea enim cohabitatione aut consuetudine disparis cultus gen-

tium, peruerti non nemo Christianorum poterat, & à Catholica fide desciscere; vel saltem (quod inficiari nemo poterit) eiusmodi commercium non sine Christiani nominis dedecore intercedebat.

Quo circa post editam à Summo Pontifice Sanctionem qua præcepit, vt Iudæi ad vnũ omnes, separatim in Vrbis angulo habitent, palamq; signum deferant, quò à Christianis facilè internoscãtur, vt viri scilicet pileos, fœminæ velamina glauci coloris gerant, neué ad seruitia aliqua Christianos adhibeant; neué prædia aut alia stabilia bona possideant, neué mercimoniũ nisi vulgare, & ad Scrutarios Sarcinatoresq; spectans, deinceps exerceãt: neué quis ab hac lege nullo vnquam prætextu aut temporis diuturnitate eximi queat, post editum inquam hoc Sacri Principis Decretum, præter ea quæ nuper narrauimus commoda, multos Hebræorum in Ditione Pontificia degentium, Christianam fidem passim amplecti percipimus.

Petri etiam Sedem per ambitum aucupantes (quæ labes multos iã è Purpuratis infecerat) seuerâ Sanctione coërcuit. Itaq; nunc ij circũspectiùs agunt: neq; ambire solummodo cauent, sed ne mutire quidẽ de futuri Pontificis electione audent. O rem plane dignam, ob quam Deus valdè laudetur? Omninò cautè quisq; vitare periculum studet, nè, quod nonnullis

magno ipsorum malo euenisse cernunt, in se experiri contingat. Timet quisq; sibi à summo Pontifice, nec immeritò: iam pridem enim omnibus innotuit, nihil apud Pontificem, vel fautores, vel huiusmodi gratiæ aucupatores, quicquam valere, nisi vnam vitæ morumq; integritatem. Nequaquam autem nũc cernere est Cardinales personatos, aut profanis vestibus indutos, neque eos aliquid à decoro dignitateq; dissentaneum facere.

Præterea iisdem Cardinalibus, & publico item bono egregiè consuluit, sanciens ne in publico Consistorio, de improuiso (vt ante fieri consueuerat) sententiam proferant de Episcopis eligendis, aut id genus grauioribus rebus: Sed vt altera quidem die res proponantur, altera decernantur: scilicet ne quid inconsultè aut temerè in posterum statuere adigantur. Ea profectò cautio in prudentem rerum circumspectionem, atque adeò in magnum Dei honorem cultumqúe vertet.

Vasta multorum Ecclesiasticorum cupiditas, Sacrarumqúe rerum fœda mercimonia repressa quidem antea fuerant, prohibitis (vt nunc loquimur) Regreßibus atque Acceßibus: Nunc autem Pontifex, lege nuper edita, magis magisq; ea mala compescuit.

San-

Sanxit etenim, vt Episcopi ad suas Ecclesias adsint: Qui verò à grege suo deinceps aberit, de Episcopatus gradu deijciatur. Idipsum mox sanciet de aliis omnibus animarum curam habentibus. Et verò intoleranda prorsus res erat, tot Episcopos, Canonicos, Abbates, Parochos, desides, ociososq́; Urbē Romam incolere; inque rebus præterea indecoris prauique exēpli tēpus terere; vilibus interim Mercenarijs, ouium sibi commissarum curam demandantes; Cum tamen prouentus censusq́; è multis quæ habent Sacerdotijs, sibimet ipsi corradant. At benè est. Hanc etiam Sacerdotiorum multitudinem de medio item breui auferendam speramus. Nam cum non nisi vno in loco quisque consistere queat, teneaturq́; ex vi Jussionis Pontificiæ assiduus adstare Sacerdotio, cui animarum Cura adnexa est, necessariò (nisi fallimur) consequetur, non nisi singula singulos possessuros. Simili lege, mox (vt boni vouent) emanatura, Canonici ad suos, quos vocant, Canonicatus redire cogentur. Deus ille rerum omnium Dominus, sancto huic Pontifici vires suggerat, ea quæ magno Ecclesiæ bono meditatur maturè perficiendi. Lex verò iam dicta, hactenus non prodijt, vt videlicet interim cogitatè prudenterque deliberentur ea, quæ in rem erunt maximè.

 Cohi-

Cohibitæ præterea fuerunt de bonis ecclesiæ stipulationes tabulæq́; non solùm, ne deinceps fiant, sed etiam vt quæ hactenus factæ, aut vltro citroq́; pactæ fuerãt, veluti irritæ rescindãtur, bonaq́; malè distracta, Ecclesiis restituãt? In administratione Officij quod vocãt Pœnitentiariæ, iñ qua plurimi qui irrepserãt abusus antiquandi erant, prudentissimè sanxit, ne quid animis expiandis iuuandisqúe piè institutum, per Ministrorum auaritiam cupiditatemq́; in exitium conuertatur.

Porrò hæc nuperrimè sancita quisquis infringet seuerissimè punietur. Multa item, quæ olim ad Pontificiam quam dicũt Signaturam deferebantur, prudenter exclusit, eos præsertim supplices libellos, qui de Matrimonijs inter affines cognatosúe ineundis passim porrigebantur. Tametsi verò nequaquam nefas fuerit, paucis aliquibus, idq́; rarò & ex vehementi caussa potestatem facere, eiusmodi matrimonia contrahendi, ijs tamen qui sub spe facultatis facilius obtinendæ, (vt hactenus per summam nequitiam factum est) affinem consanguineamuè constuprauerint, spes omnis ablata est eam ipsam postmodum in vxorem ducendi.

Prouidit itidem ne diuites in magna annonæ caritate,

ritate, pauperes ad triticũ æquo carius emendũ (quod superioribus hisce annis sæpe contigit) deinceps adigãt. Ipse quidem Pontifex non semel suis sumptibus pauperum inopiam subleuauit, vili pretio frumentum in Urbe erogans, quod duplo maioris, alibi vendebatur.

Nec ambigimus quin & publicæ pacis in posterũ futurus sit quàm maximè studiosus, quod sanè quanquam hactenus non præstitit, certò tamen scitur, nequaquam Pontificem, sed quorundam, quibus maximè fidebat, turbida consilia, delationesqúe non ab optima fide profectas, causam tantarũ calamitatum extitisse. Quid enim faceret Summus Pontifex, dum vera à suis ad se deferri existimabat; nisi aduersus eos arma sumere, qui tam nefariè (vt illi persuaserant) tot tantaqúe in se Sacrorum Principem diuexandum perdendumqúe molirentur? & Paulum quidem ad pacem & tranquillitatem Reipub. semper pronum extitisse, tria aut quatuor, quæ vocantur, Jubilæa, placando Diuino Numini, sedandisqúe inter Christianos Principes discordijs, ab eo liberalißimè concessa, apertè declarant. Ignoscat illis DEVS qui præteritas turbas conciuère. Porrò Summus Pontifex Administrorum inconsultis consilijs se circumuentum agnoscens, palàm dixisse fertur;

fertur; Pontificatum equidem nunc primum exordior.

Fusè adeò de his scribere volui: primùm quòd res eiusmodi ad honorem Dei gloriamque spectare nequaquam addubitem; deinde, vt Sanctus hic senex Deo diligentiùs à vobis commendetur: scilicet vt illum incolumem diu seruatum velit: & quæ de Repub. Christiana perpurganda reformandaque consilia salutaria, & proba ei ipse indidit, reapse perficiat, nostroq; æuo sancta Ecclesia circumquaque dilatetur.

Et id quidem, vbi primùm Christianorum mores emendati fuerint, meritò sperari potest: etenim regiones infidelium albæ sunt iam ad messem. *Heretici autem & Schismatici, cum videbunt Catholicos homines vitam ex Christi præscripto transigere, ad matris Ecclesiæ sinum, vnde nostris vitijs offensi, discesserunt, arbitror facilè reuertentur.*

Faueat obsecro Deus ille omnium Dominus, suis Administris, per quos tanta hæc cœpta perficienda constituit. Cunctis denique propitius adsit, vt, & quæ ipse probauerit agnoscant, & quæ iusserit, exequantur. Roma. XII. *Kal. Aprilis.* M.D.LIX.

Iam

Iam ſcripſeram ſuperiores litteras: & ecce rem notatu, atq; ad poſterorum exemplum memoratu dignam, in hac Vrbe contigiſſe percepimus. Ea eſt huiuſmodi.

Quamuis ſimplex fornicatio, ob grauiora peccata vitanda, ciuili lege minimè puniatur, adulterium tamen, quod hactenus impunè etiam patrabatur, nunc certè nullatenus permittitur, etiamſi cum publico ſcorto ſe quiſquam, relicta vxore, coniunxerit. Per hos dies deprehenſus quidam in hoc crimine; carceri primùm includitur; mox ingenti pecunia multatur; deniq; in exilium, Vrbe procul, eijcitur, vt aliis exemplo ſit ac terrori. Clerici nunc, maximè ſacris Ordinibus initiati, haud impunè meretricantur. Scio quendam in eo flagitio deprehenſum, & ſacerdotijs fuiſſe exutum, & mox in triremes, vt multorum ſuſpitio eſt, fore dedendum; videlicet vt ibi pœnas crimine dignas luat, Tinnient itaque ambæ aures multorum, qui adeò ſeueras animaduerſiones audient. Velit, ô vtinam, ille DEVS magis incolumem ac vegetum, quam antehac fuerit, Vicarium ſuum ſeruare, vt ad exoptatiſſimum finem deſideria quæ ſanctè concœpit perducere queat. Si enim Pontifici firma valetudo aderit, concordiaq; quam nuper Chriſtiani principes

inter se inierunt, perennabit, omnia nos sperare bona haud dubie poterimus. Porro (reticere id non debeo) Romæ & in omni Ecclesiæ Ditione, tantus de Pontifice, deque violatæ fidei Quæsitoribus timor inuasit homines, vt ij qui publicè concubinis assueferant, aut perennes inimicitias odiaque fouebant, ferè omnes, Paschalibus his diebus, elutis antè per Pœnitentiæ Sacramentum, animi sordibus, Sanctissimo Christi corpore pasti sint: atque hoc modo scandalum quod prauis actibus ante præbuerant, amouerunt. Quod certe factum, ob noxiam libertatem quæ in hac Vrbe vigebat, nouum omnino videtur; Reddantur itaq. laudes bonorum omnium autori Deo, atque ea quæ benè cœpta sunt, is ipse Omnipotens iam perficiat. Amen. XI. Kal. Maias, M.D.LIX.

Ita Patres nostri narrant: res temporis sui testes ipsi oculati auritique describunt. Ea dant, quæ nota erant atque vulgata plurimis. h *Omnia enim facta dictaq. Principis rumor excipit:* & Romę inquam vulgata, *Vrbe scilicet,* vt ille ait, i *omnium gnara, nihil reticente.* Nulla caussa fuit comminiscendi augendiue ex vano Viris talibus apud tales: eaque propemodum omnia alii etiam scri-

h Sen. lib. 1. de Clem.

i Tacit. l. 1.

ptores suis commentariis memorant. k Tu si præterea veræ narrationis recens indicium quæris, messis profectò hodieque perdurat, quæ tibi argumento sit magnæ olim factæ sementis. videlicet, Satore Paulo, Orbis fermè totus, Italiaque præcipuè, vberes fructus retulit hactenus, & referre in dies perget. Etenim quòd Religioni puritas, Sacris rebus cultus, Summis Pontificibus Maiestas, Christiano Orbi pax firma, sublatis Regum discordiis, restituta sint, aut certè aucta, secundùm Deum, Pauli IV. Sanctissimo zelo, constantiæ, industriæ, tribui debet. Intellexit hæc Apostolicæ Vaticanæ Ædis Canonicorum nobilissimus Ordo, & occasione testificandæ Pauli Pontificis integerrimæ iustitiæ, qua factum est, vt prædia aliquot malè antè distracta, Sacratissimo illi Templo restituta fuerint, alias etiam eius virtutes, & in Christianam Remp. benefacta, grauissimo hoc Elogio disertè & ingenuè declarauit.

k Vinc. Bellus Rom. in Diario an. 1558. Nauag. litteris ad Senatum Venetum Ant. Card. Carafa in Apologia aduersus B.N. & alii plurimi.

MEMORIAE AETERNAE
PAVLI IV. PONT. OPT. MAX.
CHRISTIANAE LEGIS ANTISTITIS, RELIGIONIS VINDICIS, LIBERTATIS ASSERTORIS, SANCTISSIMI AC PIISSIMI PRINCIPIS PATRIS PATRIAE DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, QVOD IVSTISSIMA EIVS SENTENTIA ANTIQVATIS SVPERIORVM PRINCIPVM DECRETIS VATICANAE BASILICAE VETERIS PATRIMONII PRAEDIA, QVE TEMPORVM INIVRIA INIVSTO IMPERIO DETINEBANTVR, SVNT RESTITVTA,

PRINCEPS ORDO CANONICORVM, OMNIBVS IN CONCILIO IDEM DECERNENTIBVS, DECRETO IN TABVLAS RELATO AC VOTIS COMMVNITER SVSCEPTIS, COMMVNIQVE AERE COLLATO AD EXAVGENDAM LOCI GRATIAM, STATVAM COLLOCAVIT,

QVOTANNISQVE X. KAL. IVNII CHRISTIANO MORE RITVQVE SACRVM FIERI CENSVIT,

EOQVE FACTO A BASILICAE VECTIGALIVM QVAESTORE PECVNIA PARATA, BASILICANIS QVI SACRIS PRAESTO FVERINT PRO SACERDOTII GRADIBVS VIRITIM DARI CONSTITVIT.

Hæc illi. Quorum communi testimonio adiungere libet singularium aliquot hominum suffragia. Memini audiuisse me non semel à Petro Antonio Bandinio grauissimo & Clarissimo Viro, atque Amplissimi Cardinalis Octauij digno Parente, Italiam potissimum, hoc Elogiũ debere Paulo: REPARATOR LABANTIS CATHOLICÆ FIDEI.

FIDEI. Cui quidem illud à Magno Sirleto l datum consonat: CHRISTIANÆ PIETATIS ASSERTOR ATQVE RESTAVRATOR; adeò ante illum Vrbes oppidaque innumera, maximè ea quæ citra Alpes sunt, hæreseos labe fœdè infecta, miseram Italiæ cladem portendebant. Non ibo per singula, id solum vniuersè assero, & res ipsa, vel me tacente clamat, eximium illum Virum, siue cum Cardinalis in reos violatæ fidei Summus Quæsitor fuit; siue cum Pontifex Maximus Ecclesiæ Catholicæ clauum tenuit, m *vento Aquiloni* simillimum extitisse, hoc est, vehementer *dissipasse nubes* Hæresum, Schismatum, flagitiorum, quibus Lutherus, Zvvinglius, Caluinus, aliæque impietatum & scelerum Hyades miserandum in modũ mortalium oculos obnubebant. Enimuero quis ex Italiâ præsertim discussit teterrima ea nubila? Paulus discussit valido & cito flatu. At vehementior visus est non nemini atque molestior? Quid mirum? Vehemens ventus molestus plerumque est; etiam cum secundus; quòd citò licet ac prosperè, cum pauore tamen & nausea, atque cum periculi quadam imagine ad portum impellat. Exstant etiamnũ verba aliquot vnius ex his nau-

l In Elog. ad Ico. Pauli.

m Prou. 25.

stantibus plena stomachi & quærelarum, Pauluni, simul & ab integritate vitæ laudantis, & à seueritate, vt sibi videtur, nimia ac præpostera, vellicantis. *Sermo*, inquit, n *erat de summo quodam & potentissimo Principe, qui cum in omnibus ætatis partibus admirandam quandam integritatem, & innocentiam præstitisset, iam senex ad imperium euectus peccata hominum ferre non poterat, eaque durioribus ac seuerioribus legibus, quam inueterata seculi licentia postulare videretur, coercebat.* Hæc ille. Ego autem Primum, gratias, arbitror, præstantissimo huic Viro debet Pauli spiritus, siue autoris nomine siue temporis. Nam ea ipsa ætate qua eius fama, passim improborum conuitiis lacerabatur, extitisse Virum Amplissimum, qui Pontificem adeò inuisum, *ab admirabili integritate vitæq; innocentia*, commendauerit; eiusque leges & Decreta, seueriora licet, *ab optima tamen mente* (ita enim inquit) o *profecta fuisse* existimauerit, rara quidem & præclara res est. Verumenimuerò quandò is ita loquitur, vt laudet simul & lædat; atque, vt Aniani fabula est, *eodem ex ore pariter calidum & frigidum efflet*, profectò partes nostræ erunt, haud committere, vt illud sanctissi-

n Apud Muret. Var. lect. lib. 16. cap. 4.

o Muret. loc. cit.

mo

mo Præsuli crimini detur, ob quod vel præcipuè laudem promeretur maximam. Vt igitur ad tuam expostulationem nunc veniam; ob idné iusto acerbior tibi videtur Pauli fuisse seueritas, quòd in scelestißima incurrit tempora? Egò verò contrà censeo: nimirum, quo maior fuit ea ætate peccandi audacia, eò magis necessariam extitisse iudiciorum grauitatem, quæ impudentiam tam latè profusam coerceret: quippe *ratio publici imperij*, vt Maximus ille inquit, p *Magistratūnimiùs asperum existimari non patitur; alioquin quomodo illud stabit, nisi virtutes benignißimè foueantur, vitia seuerißimè vindicentur?* si de acerbitate conquereris, ad medicos te amandabo; dicetq; tibi latinus Hippocrates, q *Hæ grauißimorum vlcerum curationes sunt.* Quid enim miraris, si vstione & sectione sistitur pessimum & putre vlcus

p Val. Max. Prol. ad Tiber. Cæs. & lib. 6. cap. 8.

q Celsus lib. 5. cap. de Gangræna.

— quod vrit corpora serpens r
Quamcunq; arripuit partem, repitq; per artus?

r Luc. lib. 6.

Maluisset quidem Paulus videri inuenisse bonos quàm fecisse; at quia multos repperit egregiè nefarios, nefas sibi fore existimauit, nō demetere infe-

infelicia hæc lolia, quæ segetem Christi vitiarent & perderent. *Ita esto*, inquis, *sed nemo tamen negauerit subitariam huiusmodi scelerum vindictam intolerandam prorsus extitisse sæculo illi, quod in praua vitiorum consuetudine iam callum obduxerat. Cernimus enim naturam quoque ipsam à repentinis mutationibus abhorrere, quæ nos non statim ab hieme ad æstatem, aut ab æstate ad hiemem, sed interiecto inter illas vere autũnoq; perducit. Abscessus quoq; & vomicas in corporibus nostris à Medicis, lenibus primò fomentis & cataplasmatis molliri solere, neque prius incidi, quàm suppurauerint.* Itanè verò? Repentina tibi visa est morum illa censura, quam tã-diu boni omnes summis votis optauerunt, assiduis à Deo precibus flagitauerunt, tot gemitibus, lacrymis, afflictationibus obtinuerunt? Quid aliud, dic mihi, sibi voluit in postremis Conciliis, Lateranensi & Tridentino parturientis Catholicæ Ecclesiæ nixus, nisi vt tandem necessaria ista morum Reformatio pareretur, quæ Religioni auxilium, Impietati exitium afferret? Exundabat Hæresum flamma, altùm elata è flagitiorum torribus. Clerici plerique ac Monachi, hoc est Christiani exercitus stationarij milites Lernæo eodẽ incen-

Apud Mur. lo. cit.

incendio inflammabantur. Ex Italicis Vrbibus (prô pudor!) Vergerij, Occhini, Cacomartyres, Celsi, Lacisij, Tremellii, aliæque stygiæ faces, euibrante Satana, in Rhetiam, Germaniam, Poloniam, Boëmiam, Angliam eiaculabantur. Vicissim Lutherus, Caluinus, Beza emissarios suos veluti totidem ignita spicula, per Italas Prouincias, ex Aquilone clanculùm dispergebant. Ad hunc modum teterrima impietas, non Aquilonares modò plagas, sed Italiam etiam ipsam populabatur. De bonis verò moribus quid? Lapsa ferè erat omnis virtus, aut breui lapsura timebatur, effusis videlicet per omnem intemperantiam libidinibus, & ob diuturnam impunitatem gliscente passim scelere. Quid igitur faceret in tanto incendio Paulus? spectaretne eminus deses, vt de Turri Mecœnatica Nero, t an verò accurreret celerrimè extincturus? Accurreret vtique; nam, vt ille ait: u *Acerbis in rebus celeritas est optima.* Alioqui, si Pauli properantia accusanda est, accusetur, & Sanctus ille senex Aphraates, x qui obiurgatus à Valente Imperatore Arriano, quòd Monachus, & ætate grauis, adeò celeri gradu ad Gymnasium pergeret, vt Antiochenses in fide Catholi-

t Apud Sueto. cap. 38.

u Sophocles, Ant.

x Apud Theodoret. lib. 4. hist. cap. 26.

Catholica roboraret; *Quidni, inquit, Imperator citus accurram ad restinguendum ignem, quo, te incendente, Domus Christi tota comburitur?* Reprehendatur & magnus ille Chrysostomus, y qui subitò, ac Constantinopolim Episcopus iniit, diuino zelo percitus, redarguere cœpit corruptos ciuium Mores, profligare hæreses, punire flagitia, potentiorum licentiam coercere, Clericos Episcoposque deiicere de gradu, quem ignauè tenuissent aut scelestè. Denique neque Gainæ exercituum ductoris, neque Eutropij potentissimi Cōsulis, neq; ipsius Eudoxiæ Augustæ graues minæ & nefariæ molitiones potuerunt vnquam ab instituto eum cursu retardare. Videat ergo quisquis hæc leget, aut sciet, illa Pauli festinatio, quam tu quasi temerariam accusas, quantorum Heroüm nitatur exēplis. Jam verò quas postremo Gnomas profers, quarum vna est, a *Non sunt ferenda vitia, sed qui nullum vitium fert, nullum hominē feret*, & huiusmodi alias, quas eo loco congeris, facilè intelliget in Paulum non quadrare, quisquis tēpora in quæ ille incidit, considerabit: eiusmodi namq; extiterunt, quibus, *Miseratio, blandiloquentia, & lenitas* (vt olim Cleon ille sapientissimus dicebat,

y Georg. Alex de vit. eius.

a Apud Mur. loc. cit.

bat) b *fuissent nocentissima.* Interim piget me certè tæditq; illorum tẽporum atq; hominum, qui vel ob id Paulum oderant, quòd ab eo salutẽ voto citius recepissent, hoc est à latissima mortis via ad angustã vitæ semitã adacti fuissent. Sed verè Declamator ille ait, c *Hoc proprium liuoris est, vel id quo saluus est, odisse.* Tu verò Vir clarissime, qui nõ odisti vnquã Paulum, sed cõmendatis ceteris eius virtutibus vnã vellicas preproperã atq; (vti cẽses) importunã viri seueritatẽ, quasi qui humanum genus ab hieme ad feruidã æstatẽ, nullo interiecto vere, impotenter adegerit, Tu, inquam, si ad superiorum Pontificum diuturnam lenitatem, & tolerantiam respexeris, mecum facilè, opinor fatebere, satis superque morarũ olim fuisse datũ. Jam .n. diu anteq̃ Paulus IV. Petri cathedrã conscendisset, multa & varia eaq; lenissima cataplasmata, & quæ tu requiris fomẽta, fuerãt adhibita; satisq; tepidi veris intercesserat, neq; tamẽ aut vetus sanabatur vlcus, aut eo lãguidulo calore noxie herbe penitus arescebãt. Opportunè igitur aduênit Paulina æstas & feruor, quo ille tactæ siccarẽtur, bonarũ verò legũ enata semina maturescerẽt. Et vide quot tetra gramina sol ille, dum his terris

b Apud Thuc. lib. 3.

c Quinctil. Declam. 318.

illuxit, calore ſuo areſecit. In obitu Pauli cùm væſano furore carceres Sanctæ Inquiſitionis effracti fuiſſent, hæretici ad LXXII. inter quos multi hereſiarchæ erant, veluti totidem Tartareæ Eumenides, inde proruperunt. Vti Vincentius Bellus in Diario ſuo ſcriptum reliquit; Vt hinc coniicere quiſque poſſit, quàm magnum exitium viuentis Pauli ſeueritas improbitati attulerit. Itaq; euentus ipſe, ad quem tu V. C. extremis verbis prouocas, egregiè docuit, nihil eo ſeculo opportunius aut fœlicius Chriſtianæ Reipub. contigiſſe, quàm Pauli zelum & puriſſimi pectoris inuictam conſtantiam. Nam ſi ea quæ fortiter inchoauerat non abſoluit, & eo de vita decedente ad ingenium homines rediêre, oſtendit tamen Romanis Pontificibus grandia quæque proſperè, cum Deo, ceſſura, modò ſincerè audeant (non ob ſua ſcilicet ſuorumuè priuata commoda, ſed ob Dei gloriam exaugendā) & diu viuant. Quippe ſi Paulus ipſe vixiſſet diutius, & ea quæ ſanctè inſtituerat, in morem vſumque inducere potuiſſet, profectò abſolutiſſimum reliquiſſet, veri Paſtoris, hoc eſt, qualem Chriſtus depingit, d *oues paſcentis, & lupo ſtrenuè reſiſtentis*, exemplar. Sed

d Ioa. 10.

quid

quid ego amplius conor à culpa præfractæ acerbitatis Paulum nostrum eximere? ipse idem disertissimus Auctor, qui hæc in illum scripserat, decennio post, tunc scilicet cũ Pium Quinctum funebri oratione laudaret, visus est, prorsus mutasse sententiam. Iis enim laudibus Pij Quincti seueritatem extulit, vt easdem in Paulum Quartum optimè conuenire, si liuor tantum cesset, diffiteri iam possit nemo. *Publicè*, inquit, *quot, quantaqúe beneficia & in hanc Vrbem, & in totam Christianam Rempublicam contulit? Reuocauit veterem Ecclesiasticam disciplinam, quæ ita iam obsoleuerat, vix, vt eius imaginem in veterum scriptis agnosceremus. Judiciorum seueritatem, quam iam improbißimus quisq; aut eludere, aut perrumpere solebat, renouauit. Cumq; acrioribus remedijs egere hoc sæculum iudicaret, propositis etiam acerbioribus supplicijs, hominum libidinem audaciamq; frenauit. In quo, si qui sunt, qui eum, vt nimis seuerum, ac rigidum culpare audeant, & vt molles ægroti de medicamentorum amaritie conquerantur, facere id non possent, quin eadem opera de sua nequitiâ & leuitate fateantur. Nam si aduersus extraneos tantam seueritatem adhibuit, in se autem, & in suos remissus, atq;*

indulgens fuit, tum ſanè hos reprehenſores audiamus. ſi autem & Domi & foris, & in ſuos, & in alienos, ſui ſe ſimilem præbuit, neque quemquam vſque eò carum habuit, vt ad eius peccata conniuendum duxerit, fateamur id quod res eſt, ſeueritatem illam ab eximio quodam Juſtitiæ ſtudio profectam his temporibus neceſſariam, ac ſalutarem fuiſſe.

Hæc ille luculenter de Pio Quinto, quæ, vt iã dixi, ad Paulum Quartum integrè transferas certè licet. Omnium enim, quæ egregiè ille inchoauerat, ſtrenuus executor hic fuit. Verùm, cum eadem ambo ſeuerè geſſerint, multò tamen Pio fuit odioſior Paulus. Tanti eſt præiuiſſe & fregiſſe glaciem primùm, Tanti inquam eſt, ſed apud homines, qui affectus ſuos in cõſilium potius quàm rem ipſam adhibent; non autem apud ſynceros Judices, & veri amantes Viros. Ab his enim vel ob id Pauli virtus magis magiſq; amabitur, quia primò enituit, quia primus clauſtra difficultatis perfregit, quia aditum inſequentibus Romanis Pontificibus ipſe aperuit. Hinc eſt, quod apud hos ſyncerè ſapientes, Paulus audit. e *Primus reformator Romani Cleri.* f *Primus ſuo ſæculo purpuræ deprecator*, g *Primus Apoſtolici Clericorum Ordi-*

e Verron. in Chron.
f Cynus in Panegyr.
g Ricord. Hiſt. Mon.

Ordinis Restitutor. h *Primus supremi de hæresibus Judicij in Vrbe auctor*. Sed resumamus iam historiæ filum. Igitur præclara ea quæ superius narrata sunt, dum ageret Paulus, totusque esset in redimendo tempore, quod adeò turbidè & calamitosè effluxerat, ecce sidus illud eximium, quod Occiduo Orbi veluti quidam Hesperus illucescebat, quinquagesimo nono superioris sæculi anno, cum mœrore bonorum omnium extinctum est. Obseruauit Panuinius, mortiferam Paulum ægritudinē ex Henrici II. Francorū Regis morte, quam copiosè deplorauerat contraxisse, Regni illius vicem se efflictim dolere dictitantem, ob Hæreses, turbasq; & clades, quæ post piissimi & fortissimi Regis excessum illi obuenturas præsagiebat. Ego huic alias adiungo morbi causas; dolorem scilicet acerbissimum, quem percepit ob Angliam in hæresim relapsam, atq; ob acerba funera tot Regū atq; summorū Procerum, quorū pleriq; Christianā Remp. promouere validè potuissent. Contigit.n. (mirum dictu) intra vnius anni spatiū, Carolū V. Cæsarē, Henricum II. Franciæ Regem, Christiernū & Christianum Daniæ, Heleonorā Franciæ Reginā, Mariam Vngariæ, Bonam Poloniæ, Mariam alterā Angliç; Periolū itē Venetorū

h Onuph. & alii in Vita Pauli IV.

Ducem,

Ducem, & Ferrariȩ Herculem; Tres quoque eximiæ virtutis Cardinales, Polum Pætũ, & Groppenum; Lippomanum denique, primum Veronæ, mox Bergomi Laudatiſſimum Epiſcopum, & Paulo longè cariſſimum, vltimum vitæ diem vnâ clauſiſſe, vt nõ immerito Fredericus Staphylus poſt auditum etiam Pauli IIII. obitum, ad deplorandam adeò ingentem Chriſtiani Orbis vaſtitudinem, illud Iſaiæ Prophetæ *k* vſurpauerit. *Ecce Dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum & fortem, omne robur panis & omne robur aquæ, fortem & virum bellatorem, Iudicem & Prophetam, ariolum & ſenem, Principem ſuper quinquaginta, & honorabilem vultu, & Conſiliarium.* &c. Et verò ſapientiſſimo Vati, ſanctiſſimus pontifex Gregorius aptè ſuccinuit *l* inquiens, *Malitia remanentium meretur, vt hi, qui prodeſſe poterant feſtini ſubtrahãtur.* Ob tot igitur funera conſternatus, & graui ſenio fractus Beatiſsimus Præſul, aqua intercute laborare cœpit. *Itaq;* (vt cum Panuinio narrare pergã) *creſcente morbo, cum eius vita deſperata eſſet, ad* XI. *Kalend. ſeptembris hora* XII. *Pontifex, qui ſibi mortem inſtare ſentiebat, Cardinales omnes euocari iuſsit: qui-*

i Staphy. Epiſt. dedic.

k Iſa. c. 3.

l lib. 3. Dial. c. 37.

quibus in eius cubiculum conuenientibus admirabili eloquentia, quâ erat præditus, orationem habuit, ita præfatus: Viã vniuersæ carnis ingredimur, diutius viximus, quàm sperare potuissemus. Mox ab eis petijt, primùm, vt si remißior in senatu cogendo fuisset, quàm sui officij ratio postulare videretur, id ætati & incommodæ valetudini tribueretur: deinde vt consentiretur in optimo Pontifice deligendo. Postremò sanctæ inquisitionis officiũ, quod vt est, sanctißimum appellabat, & quo vno niti affirmabat Apostolicæ sedis auctoritatem, eis commendauit; multisq́ præterea verbis se diligenter excusando, vegeto prorsus animo patres dimisit. Cùm Bartholomeus Cueua Hispanus Cardinalis, vir bonus & pius, Jacobo Sabello Cardinali adstante, patrio sermone eum cõsolaretur; diceretq́ inter cætera, admodum ægrè ferendum esse tantæ pietatis Pontificem, eo potißimum tẽpore Reip. Christianæ eripi, quo cunctis dißidijs pacatis in Ecclesiæ restitutione eius opera maximè necessaria videbatur, ipse illicò eadẽ lingua Hispana, se ita vitæ suæ cursum instituisse, respondit, vt quoties ex hac mortali vita ei abeundum esset, DEI vocationem propenso & secundo animo susciperet; proinde alacriter admodum se hinc emigrare, cùm quòd hanc Dei volun-

tatem esse perspiceret, tum quòd eum Catholicæ fidei defensorem à Deo Opt. Max. delectum relinqueret (Philippum scilicet Hispaniarum Regem) cuius pietate & virtute Remp. Christianam afflictam, proculdubio recreari & restitui posse non dubitabat. Moribundi verò suprema verba fuere, lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi in Domum Domini ibimus. Hactenus ex Panuinio. cui nos pauca hæc quæ ille omisit adiũgimus. Primùm est, Paulum magna animi demissione verborumque ambitu, publicè Dei misericordiam implorasse, vt in laborioso mortis agone fatiscenti succurreret, vtq; Ecclesiam Catholicam magis magisque amplificaret. Alterũ dixisse adstanti Senatui: *Bono estote animo fratres. Potens est Deus ex lapidibus istis suscitare filium Abrahæ.* Quo dicto præsagiisse visus est. Pium V. P. Max. Is quippe fide, Religione, atq; animi magnitudine vera fuit, & eximia Abrahæ soboles, & Christianorũ piissimus Pater. Postremò (retulêre id mihi grauissimi testes) Cardinalibus è cubiculo, Palatioq; digressis, remãsisse illic ad sepulturam vsq; inter alios, quatuor hosce intimos Pauli clientes, Jeremiam nostrum Salodiẽsem, Pontifici adeò carum, vt eum sibi à cubiculo inti-

intimo, atque à secretioribus Epistolis esse voluerit, precesque sacras statis horis cum illo aliisque nonnullis, in secretiori Sacello persoluere consueuerit: Guilielmũ Sirletum, quem ipse Protonotariũ fecerat, interque Purpuratos adscribere meditabatur; Leonem Carpanium Somascænũ, Virum honorum contemptu & eximia charitate spectatissimum; & Jacobum Herculanum Vaticanæ ædis (vt vulgus appellat) Altaristã, atq; canonicum. homines rerum spiritualium vsu & solida pietate præstantes: vt taceam Alphonsum Carafam Neapolitanũ & Bernardinũ Schottum Tranensem, Cardinales; qui moribũdo Pontifici ad vltimum vsque spiritum adstitêre. Expirauit igitur sanctissimus Pater xv. Kal. Septẽb. feria VI. hora xxi. Videlicet cęlitùs datũ illi fuit, vt Christo Domino sexta itidẽ feria, & vigesima prima, hoc est, tertia post meridiem hora, pro salute humani generis morienti, felicissimè cõmoriretur, ætatis suæ anno LXXXIII. mense I. diebus XXII. Pontificatus verò IV. supra mensem II. & diem XXIV.

Porrò opella hæc ex aliorum narrationibus fidè cõtexta finem iam spectare deberet: & merito scriptione defungeremur, eo vita defuncto, quẽ

ſcribimus. At vnum reſtat præterea exponere, quinam fuerit bonorum ſenſus (nam improborũ peruerſa iudicia nihili facio) de tanti viri nobis erepti vita atq; geſtis. Porrò etſi equidem multos huc adducere poſſem eius à funere laudatores, ſelegi tamen hos paucos, videlicet Illeſcam, Firmanum, Flauium Ligorium Carafam, illum Hiſpanum, hos Italos, in ipſis etiam poſt Pauli obitum exortis turbis (tantum veritas poteſt!) ſanctiſſimi Pontificis laudatores. Primùm igitur eſto Gonzali Illeſcæ teſtimonium. m

m Hiſt. Pont. lib. 6. ca. 31. Ex Hiſpanico.

Hoc ipſo, inquit, anno M. D. LIX. obijt Romæ ſummus Pontifex Paulus IV. effœtus ſenio, vtpote qui lxxxiv. annum attigerat, Porrò ſuſtulit eum mors eo tempore quo cautius quàm initio Præſulatus incedebat. Nam cum ſuos propinquos alioſquè homines, quibus incautè fiderat à ſe ſuaque domo abegiſſet, ad ingenium priſtinoſq; ſuos probos ſanctoſquè mores reuerſus erat. Jamq; non niſi Romanæ Aulæ, & ſuæ ipſius domui repurgandæ, puniendiſq; publicis fœdiſq; ſceleribus incumbebat. Quocirca ſimoniacos, mulieroſos, & eiuſmodi hominũ colluuiem coërcuit: in ijs verò eos maximè, qui præpoſteram Venerem exercuiſſent. Itaq; horum complures viros, fœminaſquè igni

igni tradi voluit. Pædagia tributaq́ multa, quæ ipse, suis propinquis perperam suadentibus, indixerat, suâ postmodum sponte abrogauit. Totus denique fuit in reformãdo Orbe, abolendisq́ vitijs, & prauis, quæ irrepserant consuetudinibus. Jam verò si ea, quæ decrepitus egregiè instituit, multis ante annis, facere cœpisset, profectò & sua ipse cœpta ad finem perducere potuisset, & præcellentissimi Pontificis (vti de tanto viro credi fas est) munia absoluisset. Vt autem id de eo sperari potuerit, facit vita eius inculpatè ad obitum vsque peracta. Verumtamen illud omninò in quisque fatebitur, neminem eo constantiorẽ vnquam extitisse in tuenda asserendaq́ Ecclesiastica libertate. Id verò illi prosperè cõtigit, quòd suorum propinquorum, qui apud se nimium potuerant, artes atque ingenia maturè cognouerit, seq́ue ijs strenuè extricauerit. Felicissimũ sanè virum, quẽ non ante mors corripuit, quàm, se hortatore atque auctore, viderit initã stabili fœdere inter summos Christianos Principes concordiam; & Rempublicam Christianam vndique anteà diuexatam, sedatis belli tumultibus, pacatissimam: scilicet, vt sic denique, tranquillato orbe, Religionis iura promoueri, & Oecumenicum concilium, quod iam pridem cœptum fuerat, posset absolui.

Iſta habet Gonzalus: quem Auctorem in aliis nonnullis, quæ de Paulo narrat, erraſſe, nõ miror. Excuſat eum loci longinquitas, ſi rerum, quæ Vaticani parietes clauderent, non fuit callẽtiſsimus. Itaq; quod alibi ſcripſit initio Pontificatus, Paulũ ſumptuoſiſsima celebraſſe cõuiuia, nihil priſtinæ moderationis retinuiſſe, & id genus alia, quæ cũ labe tanti Præſulis poſteris legenda trãſmiſit, non magis vera ſunt, quàm id quod ipſemet ait, illum Benedictini ordinis extitiſſe. Iſta equidem nihil eſt quod confutem, adeò ex ſe ſunt decidua. Etiã-num viuunt Octauianus Creſcentius, Romanus eques, ornatiſſimus; Vincentius Bragadinus Venetus, Tiberius Criſpus, aliiq; integerrimi Teſtes, Pauli IV. familiares, qui ingenuè teſtantur, quàm ciborum parcus ille Pontifex, quàm præcipuus adſtricti moris Auctor extiterit. Extendebat quidem interdũ longiuſculè ſua prandia Paulus (prãdia inquam: rarò enim aut nunquam cęnabat) ſed bonam partem eius temporis in habendo ſermũculos ad aſtãtes de rebus ſeriis, vel cum Sirleto illo magno de ſacræ ſcripturæ ſanctorumq; Patrum locis diſſerendo, ſolebat inſumere. Ipſe autẽ è mẽſa, ferculis licet multis onuſta, vnum ſibi tantum

aut

aut alterum reſeruabat; cætera ad domeſticos liberaliter mittebat. Quòd ſi quando, vt die ſuę Coronationis, vel feſto Apoſtolicæ Petri Cathedræ, quod iam deſuetum ipſe in vſum prudẽtiſſimè reuocauit, conuiuium ſplendidè inſtruxit, non repræhendetur, niſi ab eo qui neſciat *in re domeſtica, continentiæ laudem quærendam eſſe; in publica, dignitatis.* At de hac eadem re carpit Paulum non nemo alius. *n* Quid mirum? illos etiam veteres, ſanctoſque Romanos Pontifices Felicẽ, Liberium, Damaſum, cæteros, Marcellini dente proſciſſos lego, quòd epulas curauerint profuſas, adeò vt eorum conuiuia regales ſuperauerint mẽſas. Verùm quid in calumnia hac abigẽda tot opus eſt verbis? Panuinius audiatur & ſatis erit, *fuit*, inquit, *Paulus firmo ferè corpore, & benè compoſito: quippe qui nunquam Medicorum vſus eſt ſubſidio, aut conſilio, vna frugalitate ac tenui victu ſalutẽ ſibi tueri ſolitus.* Hæc ille. Sed alterum nos nunc ſubiiciamus Scriptorem, qui rudi quidem ſtilo, ſed quem dictaſſe ſimplex Veritas videatur, Paulum extollit eo tempore, quo pleriq; cæco furore perciti deprimebant. Inquit igitur.

Cic.

n Nauag. Relatu ad Sen. Ven. quę tamen confutat Card. Carafa in Apologia s. apud Ferd. à Marra: Eam ad finem huius libri ponemus.

JOAN-

IOANNES FRANCISCVS FIRMANVS Pontificii Sacelli Cærimoniis quondam Præfectus.

Anno M.D.LIX. Die XVIII. Augusti inter XXI. & XXII. horas Paulus IV. Pont. Max. Sanctißimam Deo animam, magna cum deuotione, reddidit. Eodem Die Populus armatus in eius odium infanda flagitia perpetrauit. Quo circa maximũ paßi sunt dolorem qui sanctam dicti Pontificis mentem & intentionem sciebant. Semper enim incubuit reformationi peruersorum morum Vrbis & totius Reipublicæ Christianæ. Et verè habitum fuit, quod si à suis in multis non fuisset deceptus & præcipuè ingerendo bellum perniciosum, non solùm Dominico Ecclesiastico, sed etiam multis extraneis populis, fuisset reputatus sanctior propemodũ quàm vllus alius qui fuerit à Diuo Gregorio vsq; ad suum Pontificatum. Tamen negari non potest, quin semper optimam & sanctam intentionem habuerit, & ostenderit in cunctis suis actionibus, & præsertim in persequendo Hæreticos, Vsurarios, Blasphematores & alios facinorosos homines. Mortuus Pontifex, in eadem camera in qua obierat fuit scissus, mundatus

tus, indutus, atque paratus ordinarijs, ac consuetis paramentis; & hora secunda delatus in Capellam Paulinam, vbi stetit per totam diem sequentem, vsque ad vigesimam horam: & in mane illius diei, Cantores dixerunt circa Corpus consuetum officium. Deinde fuit aperta Capella prædicta propter aduentũ Cardinalium venientium ad Congregationem & tunc infinitus Populus ingressus fuit in ipsam Cappellam ad osculandum pedes sanctissimi Pontificis. Canonici Basilicæ sancti Petri tulerunt corpus Pontificis & associarunt illud omnes Cardinales creati ab ipso Pontifice cum cappis violaceis. Canonici dixerũt consuetum officium iuxta Corpus positum antè Cappellam sanctissimi Sacramenti. Postea fuit delatum dictum Corpus in Cappellam Xysti, & hæc facta fuerunt circa horam XXII. Hora deinde secunda noctis sepelierunt Pontificem prope Altare Vultus sancti, ne multi commoti ad procuranda omnia possibilia in dedecus dicti sanctissimi Pontificis, aliquid contra ipsius personam machinari auderent.

Ita Firmanus breui rem digessit. At Flauius, ille inquam Flauius, cuius eruditionem atque eloquentiam Paulus Manutius aliique cum laude memorant, multò disertiùs ac prolixiùs sanctissi-

mum Pontificem coram Amplissimis. S. R. E. Cardinalibus & confertissima concione laudauit. Ipsum audiamus.

JOAN. PAVLI FLAVII ORATIO HABITA IN FVNERE PAVLI IV. PONT. MAX.

Ad S. R. E. Cardinales.

ET si apud vos Patres amplissimi, viriq; ornatiss. de Paulo IV. diuinæ sane recordationis, Pont. M. verba facturus, haud omnino diffidere, me vestræ expectationi, meoque officio aliqua saltem ex parte, pro rei magnitudine satisfacturū: idque non modò funebri oratione de more habenda; sed etiam diffusa maximarum rerum gestarum, actionumuè quasi historia recensenda: Hoc tamen tam arduo, ac difficili munere obeundo magnam quandam breuitatem omnibus de causis mihi sequendam duxi. Atque in primis, quoniam sentio Christianæ R. P. summam excecratis hæreticorum, impiorumque hominū sceleribus conuulsam passim, ac labefactatam, nouique summi Pont. futuri delectum vestra illa mirifica vigilantia, singulari charitate, atque admi-

admirabili ſapientia nunc vt cum maximè indigere. Vt ſi quis vel tãtulum temporis e veſtra grauiſſimarum rerum tanta occupatione detraxerit, magnum aliquod crimen commiſiſſe iurè ſit exiſtimandus. Accedit & illud, quòd ſingulæ tanti Pont. memorabiles, diuinæque actiones, ſingula volumina, & ea bene longa certò deſiderare videantur. Omittam igitur, quod in hoc genere oratores principio tractare conſueuerunt: Multa ſcilicet, quæ mihi in hanc ſententiam de Generis origine dicenda eſſent. Tum quoniam ſatis notum eſſe arbitror, Carafiorum familiam antiqua, ac perilluſtri nobilitate decoratam: Atque inſuper ex ea tot Proceres, tot titulis; tamque multiplici, ac iuſto dominatu inſignitos, vel in rebus agendis, vel in bellis gerendis preclaros iampridem extitiſſe, & noſtra ætate potiſſimum florere. Nonnullos item ex eadem familia honeſtiſſimos, magnáque veneratione dignos Antiſtites, quorum egregia adhuc opera, non ſine ingenti gloria, & ſplendore conſpiciuntur. S. R. Eccleſiæ fideliſſimos, deque hac ipſa longe omnium præſtantiſſima Vrbe benemeritos produiſſe. Tum quoniam

tanti Pont. laudes, ac virtutes non eę sunt; quas eiusmodi adminiculis inniti oporteat. Summos enim viros non ex rebus externis, sed ex animorum propriis dotibus satis dignè admiramur. Ad quod maximè pertinet ipsum Educationis genus, quasi altera Natura. At Jo. Petrvs Carafa puer à patre viro clarissimo tam diligenter, tam piè fuit educatus; Vt vix credi possit, quanta præter egregiam indolem, ac propè incredibilem ingenii celeritatem in puero eximiæ virtutis significatio apparuerit. Nullum vnquam is verbum insolens effudit: Nihil vnquam nobili puero indignum egit. In omni actione castè, & continenter, vti ferè in perpetua vita, se gessit. Quid illud? quòd iam inde ab extrema pueritia semel, atque iterum à parentibus, apud quos percommodè, atque honorificè vitam ducebat, clam discessit ad religiosos Patres quorum sanctis moribus, ac doctrina institueretur? Quasi diuino quodam instinctu futuræ Religionis fundamenta iacerentur? Etenim quantopere is fuerit optimarum artium studiosus, nihil attinet recensere. Sed illud vnum non præterierim; Quòd dum operam daret nunquam satis laudato Cardinali Oliuerio Carafæ,

cuius domus ſemper doctiſſimis viris referta erat (quod Cato admodum ſenex in Senatu, & Cleanthes in ſeruitute conſtitutus factitarunt) quàm ſæpiſſimè in angulis libellum aliquem raptim, furtimué inſpiciebat Adoleſcens. Vt qui intelligebat, vel exiguum in adoleſcentia laborem, vberrimos afferre fructus in ſenecta. Quid item illud? quòd perbenignè ſibi à ſuis oblatum Epiſcopatum, tantum abeſt, vt prænſarit; vt non modò apertè recuſarit, verumetiam (quod in maxima laude ducendum eſt) ſuo præceptori, non ſine magna quadam charitate, conferendum curarit. Is præterea dignus habitus eſt, qui adoleſcens Catholicum Regem ſummi Pont. nomine ac iuſſu exciperet, in Neapolitanum Regnum aduentantem. Ad Epiſcopatus autem gradum cum aſcendiſſet, ita ſe præbuit, vt nihil vnquam (ſicuti verum Epiſcopum decet) in eo deprehenſum ſit; quod reprahendi poſſe videretur. Quam deinde dignitatem Clementis VII. conceſſu tranquilla diuinarum rerum contemplatione ductus ſua ſponte depoſuit: Victiſque omnibus humanis cupiditatibus ſui tituli cognomento nuncupatam, nouam, omniq; laude dignam Religionem

instituit: Ex quo egregiam consecutus est laudem. Quandoquidem inter alia, quæ quis præclare in vita præstare potest; Illud vnum est amplissimum ad veram gloriã promerendam; recti, sanctiq; alicuius instituti authorem appellari. In sacrosanctum deinde Collegium cooptatus est à Paulo III. Pont. Max. non modo semel, atque iterum, verum etiam, & tertio, ad indignationem vsque, quãuis nonnulli fucata illa ratione id dissuadere omnino conarentur, accersitus; Cui quidem maximas is semper gratias agebat; cuique se plurimum debere, omnemq; suam dignitatẽ acceptam referri oportere plane fatebatur; Idq; iure, ac merito. Nam præter alia ferme omnia, quæ ab illo Pontifice felicissimæ recordationis, benignè, sapienter, ac piè gesta sunt; cum summa omnium admiratione, ac celebritate, lectissimos viros Cardinales creauit. Quodq; magnopere obseruandum, valdeque mirandum est: Ex iis, tres summi viri, summi Pont. continenter euaserunt. Vt hinc magistratũ viris, potius quàm viros magistratũ ornasse, suæque illius præstantissimæ virtutis, quoddam quasi seminarium, posteris reliquisse videatur. Tum verò hic postremus quàm

diu

diu Cardinalis extitit, quam plurima grauiter, ac præclarè gessit, pro huiusce S. Sedis dignitate tuẽda, & authoritate amplificanda: Ne dilatem orationem meam, quæ posset esse infinita; neuè illa longius repetam ex instituto meo, quæ vel in Britannia, vel in Hispania, vel alibi variis, magnisque muneribus obeũdis singulari integritate, ac prudentia perfecit. Quantum verò illud est? quod in summo Pont. deligendo nihil, aut certè parum de iis laborans, quæ ad se ipsum separatim attinerent, publicæ vtilitatis studiosissimus, deterrima quæque constanter, ac seuerè confutauit; optima verò syncerè, omnique conatu semper comprobauit. Decet profectò in tanto viro incredibilem propè animi firmitudinem, & summum quoddã in hac Sedem studiũ maximoperè admirari. Hinc enim illud est; quòd magnos illi honores tot summi Pont. habuerũt. Eundemque quàm libentissimè, quàm sæpissimè, quasi diuinum quoddam Oraculum, exaudierunt. Quod Marcelli II. sanctissimi viri, de cuius virtute, ac meritis nemo satis dignè vnquam loquetur, grauissimo testimonio confirmatum est. Quandoquidem is cum primum PONTIFEX MAX. renuntiatus esset,

hunc

hunc vnum præcipuè in grauißimis rebus administrandis cum honorificentißima authoritate sibi tanquam socium delegit. Hunc consulebat; Hunc plurimi faciebat. Cumque (quod maximè memorandum est) ipsi Marcello iam Pont. Max. significatum esset, hūc Cardinalem domicilium (vt fit) non ita commodum sortitum fuisse: Cedemus nos (inquit) ex hoc loco, vt ne tanto viro desit locus: Quasi ita futurum diuinus ille sanè animus præsagiret. Itaque omnes vno ore, vno consensu asseuerabant, hunc Decanum esse vestri ordinis singulare quoddam columen, atque ornamentum. Quare vniuerso cætu comprobante propter maxima eius merita, legitimo ritu, pontificia potestate tandem exornatus est. In cuius quidem decursu, nisi fortè in difficillimam, ac turbulentissimam temporum, quæ vix medicinā ferre possent, iniquitatem incidisset, multò sanè plura ac præstantiora suæ summæ virtutis monimenta Orbi Christiano reliquisset. Nullis tamen vnquam conditionibus, nulla temporis angustia, nullo vel vitæ ipsius discrimine, nullo deniq; humano affectu adduci vnquam potuit; vt quæ ad S.R.E. Catholicæ dignitatem, ac maiestatem pertinere

tinere intelligeret, vllo pacto imminui pateretur. fuit enim ita obfirmato, constantique animo in rebus honestis conficiendis; Vt neque illum vllę vnquam ambitio, neque libido, neque voluptas à proposito consilio abstraxerit, aut à re inchoata, quam ipsemet rectam esse arbitraretur, persequēda auocarit. Iam notum illud est; quod in summa rerum omnium inopia constitutus; cumque sui milites ipsi, quoniā promissa iis stipendia solui non poterant, de magna quadam defectione cogitarent, nunquam eorum, quæ antea ritè, sanctéque decreuerat, quidpiam reuocauit. Quando Paulum IV. præter cæteras summas virtutes, quibus insigniter præditus erat; detestabilis auaritiæ studia omnibus patet, non modò aspernatum fuisse, verum etiam supra quàm dici possit, ab iis abhorruisse, & in re quàm vberrima turpe illud compēdium semper effugisse. Atque adeò, quod quidem consequens est, execranda Simoniæ lucra, quibus Christianę fidei cultores passim, indies magis pessimè corrumpi videbamus; is semper vehementissimè detestatus; præter alia multa, quæ vt notissima de industria prætereo, in antiquis sanctorū Patrum vestigiis, ac muneribus insistēs ad veram,

legitimamque formam ſapientiſſimè redegit. Idque præcipuè, vt diuinum Chriſtianę Religionis decus conſeruaretur; Et nullus propterea hæreticis hominibus iuſtè laceſſendi, aut inſimulãdi locus relinqueretur. Nemo enim eſt, quin norit, quàm diligens, quàm vehemens fuerit Paulus IV. in hæretica prauitate reiicienda, atque opprimẽda. Quanta porrò vigilantia, ac ſeueritate, quã tũc maximè opus erat, in eos vſus fuerit, qui à ſuis Religionibus impiè deſciuerunt. Quàm modeſtè, ac fraternè Epiſcopos hortatus illis edixerit, vt ſuum quiſq; gregem, qui tam diu ſuo legitimo Paſtore caruiſſet, libenti animo (vti par eſt) viſerẽt tandem, ac diligentiſſimè curaret. Quantam prę terea cum iuſtitia charitatem adhibuerit, in plurimorum querelis publicè exaudiendis. Vt ſæpè (ne tã ſancto inſtituto exercendo deeſſet) vel grauiter affectus publicæ vtilitati ſuam ipſam ſalutẽ poſthabẽdam putarit. O quantò ſublimiora, atq; vniuerſo orbi Chriſtiano vtiliora conſilia, atq; inſtituta in animo habebat? Nanq; nihil fermè aliud, noctesq;, dieſq; iã poſtremò præcipuè meditabatur; niſi, vt à noſtra Religione alienos ad verũ Dei cultum induceret; Atq; impios homines vel

ad veram pietatem reuocaret; Vel (vt ne alij venenata illorũ doctrina coinquinarẽtur) ab hominũ cõmercio prorsus, iustissimo exemplo, exterminaret; Ex quo huiusce S. Sedis & authoritas retineretur, & maiestas amplificaretur. Quæ omnia adeò patere arbitror; vt neq; meo, neque alterius testimonio ad rem confirmandam apud vos pręsertim amplissimi PP. opus esse existimem. Illud vnum tamen ita rem se habere, magno cuique argumento esse potest; Quòd, cum primum sibi de Pace inter supremos Europæ Reges omni laude dignos conciliata iam, & constituta renũtiatum esset, incredibili propè lętitia affectus, omnia sanctæ gratulationis, cum priuatim, tũ publicè signa demonstrauit. Atque ipsos Reges ad bella contra Christiani nominis hostes inferẽda vehementer, non minus, q̃ piè sæpius cohortatus (vt alia omittam, quæ longũ esset recensere) Sabaudiensium præstãtissimo Duci postulata prolixè admodum cõcessit, quum ad Pacem confirmãdam maximè id pertinere arbitraretur. Ita enim fore sperabat, vt quod in votis semper habuisset, facilius multò persequi posset. Sed præter reliquas eius actiones, ac virtutes, quæ sunt propè innumerabiles;

Illud vnum in eo maximè viguit, atq; vigebit memoria ſeculorum omnium ſumma admiratione dignum: Quòd annum cum peregiſſet octogeſimum circiter tertium, ſine vlla ſuæ vitæ labe, ſine vllo aperto, aut graui crimine in perpetua vita ipſa conſtãter verſatus eſt. Atq; illud ipſum, quod obſtupeſcentes nos ipſi toties experti ſumus; toties exaudiuimus, admodũ ſenem eloquentiæ viribus florentem, tenaciſſima memoria, ſine vlla doctorum, prudentiumué reprehenſione de quauis propoſita materia aptè, ornatè, ac copioſè diſſerentẽ. Quin (quòd multò admirabilius eſt) nullum verbum penè proferentem, vel Italicè, vel Hiſpanicè, vel Græcè, vel Hebraicè, atque in primis Latinè; quòd pro Oraculo nõ haberi poſſe videretur. Sed illud omnium longè maximum; quòd is ſummis honoribus non minus, quàm interioribus literis inſignitè præditus tantã cũ grauiſſimo, acerrimoq́ue iudicio coniunctã rerum ſacrarum peritiã tenebat; Vt nihil ex iis cõmemorari, nihil ſignificari potuiſſet; quin illico tanquam rem valdè tritam, pleneq́; notã, ex tempore, ac diſtinctè repræſentaret. Ecce autem amiſimus tantũ Virum in medio rerum maximarũ decurſu quàm vehementiſſimè inſi-

insistentem; Eaq; omnia, quæ vel temporum iniquitate, vel quibusuis aliis de causis antea minus rectè, præterque opinionem cecidissent: pro illa maiorum suorum perenni, contestataq; virtute, ac splendore noua quadam ratione, sanctaué industria, diuina ope in primis fauẽte, cumulatè cõpensaturum. Quamobrẽ debemus profectò summi, atq; Opt. Pont. Pauli IV. vicem, nostra potius, quàm ipsius causa vehementer dolere. Sed contra illud nos mirificè solari debet; quòd is (quantum ex humanis actionibus suspicari licet) in cœlum cum migrarit; Deũ Opt. Max. pro vniuersę Christianæ R. P. salute; quo sibi nihil antiquius habuit, sit assiduè deprecaturus. Reliquit præterea treis præter alios ex sua nobilissima familia Cardinales, quorum magnam erga vos beneuolentiã, ac fidẽ indies magis re ipsa agnoscetis. Nihil enim est verendum, eos vnà, & S. Sedi apostolicæ quàm fidelissimos, & sacrosancti Senatus vestri quàm obseruantissimos fore. Atque idcirco (vt ponam iam in extrema oratione mea, quod ipse in extrema vita pronuntiauit) equidem nihil despero, optimum quenque tria illa, quæ vos amplissimi P P. syncerè, non minus quam piè, iam decessurus rogauit, li-

benter illi, atque officiosè præstaturum. Vt cõtra hæreticos homines sanctæ Inquisitionis (quod nostra ętate peropus est) authoritas accuratissimè conseruetur: Vt eius animam piis apud Deum precibus, & gratissima ac perpetua (qua decet) memoria p. osequamur: Id, quod multos iam dies, hodieque in primis tam amanter, tam honorificè, tam religiosè illius celeberrimas exequias, vel lachrymis, vel funebri pompa, vel vestro amplissimo consessu cohonestantes; & vanã, miseramq; humanarum rerum conditionem contemplantes, quàm diligentissimè peragendum curastis. Tum verò tertium illud, quod plurimi est; cuiusué mirifica quadam expectatione vniuersus fermè Christianus Orbis tenetur; Vt diuini spiritus ope implorata ad publicæ vtilitatis commoda, & nostræ Religionis decus omnia vestra sanctissima studia conferentes, nouum successorem, Deo, ac piis hominibus gratum, acceptumque summum Pont. optimumque Pastorem, qualem præsertim hæc tempora deposcunt, vestra illa singulari sapientia, veraque in Deum pietate opportunè deligatis. Itaque Pauli IV. Pont. Max. memoriam retinentes, cœlesti animorum tranquilli-

quillitate in terris, cum S. Sedis Apostolicæ integra dignitate, & summo illo Bono tandem cum Christo Jesu, diuina beneficentia perfruamur.

DIXI.

Dixit Flauius, & non nisi vera inter dicendum attulisse; quin etiam in angustum potius grandes Pauli actus coarctasse, quam Rhetorum more amplificasse, plerique omnes qui eum dicentem audiuerunt, planè fatebantur, vt idem Flauius ad Alphonsum Carafam scribens, his ipsis verbis testatus est. Quocirca, vt ea quæ Flauius perangustè retulit, aut temporis breuitate omisit, aliqua ratione significentur, commodùm sanè peruenerunt nuper ad meas manus, Phyrri Ligorii, & Antonii Cardinalis Carafæ Tractatus, quorum altero ille de Pauli IV. liberalitate: altero autem iste de eiusdem Innocentia, Magnanimitate, Religione, Temperantia, & virtutibus ceteris egregium testimonium tulit. His te, sincere Lector, fraudare noluimus. Habe igitur.

DE

DE PRÆCLARA PAVLI QVARTI Pontificis Maximi beneficentia & liberalitate Pyrrhi Ligorij Teſtimonium.

Ex Italico. *ERat feliciſſimæ memoriæ Paulus Quartus Pontifex Maximus, tam propenſa in nobiles quoſcumq; artifices voluntate, vt omni in eos liberalitate gratiq; animi teſtificatione vti ſemper ſit ſolitus. In qua re erat adeò ab omni vanitate atque oſtentatione alienus, vt ſi qui quòd in ijs rebus, quarum deſiderio tenebatur, aliquid præclari ad ſuum ſenſum, ac voluntatem effeciſſent, ipſeq; viciſſim illos ſingulari aliquo beneficio eſſet proſequutus, ita id alios latere voluit, vt neque eos ipſos gratias agentes libenter audiret, & verbis inſuper, ſæpè etiam minis deterreret, ne quod ab ipſo percepiſſent, id vllis vnquam indicijs cuiquam patefacerent.*

Memoria teneo Baptiſtam de Petra ſanƈta, cui Camera Apoſtolica ſtipendium annuum perſoluebat, cum Pontificis iuſſu columnas quatuor ex marmore Tiberiano viridis coloris permixti albo, & forma noua eaque perpulcra affinxiſſet, quas in altari Capellæ quam Paulus ædificauerat locari oportebat,

portebat, non tantùm iustam sui operis mercedem, sed etiam centum amplius aureos nummos gratuitò percepisse, quam tamen ipsam donationem non ita multò post, aliâ auxit Pontifex vberiori. Nam cum munus quoddam ferẽdæ ante Pontificem clauæ, quod octingentis aureis æstimari solet, morte fungentis ad Pontificem rediјsset, non ad alium quàm ad Baptistã illud detulit, idq́; gratis & cum iucunda amoris significatione: nam postquam malas homini vtraqúe manu leuiter preßisset, frontemq́; osculatus esset, addidit dicens; Bono sis animo, atq; à me imposterum ampliora expectato. Has columnas ex Cappella Pontificia, adeoq; ex Palatio sublatas, Pius Quartus optimati cuidam dono dedit.

Mandauerat Paulus Pyrrho Ligorio sacri Palatij Architecto, vt daret operam archetypum ligneum ad figuram templi confici, ad cuius similitudinem aliud ipsemet argenteum formandum deinceps curaret, vt in eo sacrosanctum Christi Corpus, quoties iter longius Pontifici faciendum erat, deferretur: fingeret præterea laternas quasdam grandiores, quæ illud antecederent. Cumq́; lignarius in hac re (sicut & in similibus anteà) luculentam & laudabilem suam operam posuisset, volens

eum Paulus remunerare, præmium laboris constituit duo (vt cum vulgo loquamur) Officia, Præsidis nimirum Annonæ & Militis Pij. Et quia renunciatum ei fuit, artificis opus illorum officiorum mercede longè superari, Respondit, Nos, quod ex æquo & bono, illius studio ac labori debetur, libentißimè ei contulimus; quæ autem superant, ideò illi volumus cedere, vt nobis deinceps alijs in rebus ea quæ cupimus, & quæ par est, cura ac sedulitate inseruiat. Deinde verò ipsi lignario gratias multas agenti, non solùm quod tanto beneficio eum ornasset, sed etiam quòd operis pretium (quod alio tempore non solet sinè nõnulla molestia, ac procrastinatione pendi) tàm citò persolui curasset, benignißimè respondit: Existimare se, muneris sui in primis esse, operam benè ac diligenter sua caussa nauatam pari celeritate compensare, & quod vltra, quàm erat debitum adiunxerat, Velle vt id totum ab illius bonitate agnosceret, qui est, atq; erit sempiternus remunerator, quiq; sua misericordia exemplo docet in omni creatura adhibendam esse misericordiã: quare tu, inquit, filijq; tui sancto eius nomini hoc acceptum feretis, Deumq; orabitis benefactorem, vt, quod nobis potißimum conducat, id clementer concedat. sed ante omnia cauete, ne de hac re verbum.

Joannes

*Joannes quidam ſcriptor Græcus in peruigilio Sancti Petri obtulit ei ſacra Chriſti Euangelia, tam accommodata ſymmetria elegantiqúe charactere græcè conſcripta, vt admiratus Pontifex ijſqúe mirificè delectatus, primùm Deo Optimo Maximo gratias egit, cuius benignitate tantam in Christiano ſcriptore præſtantiam comperiſſet, deinde præcepit vt liber ille * operculo pulcherrimo (quod, phygio acu inſignitum, margaritiſqúe ac gemmis contextum à Principe Doria paulò ante acceperat) incluſus, in ſcabello propè capſulam (in qua pecunias ad ſecretas eleëmoſynas deſtinatas ſeruabat) collocaretur. Inde vocato ad ſe Joanne atque extento ſupra ſcabellum ſudario pergrandi (tali enim vti ſolebat) tantum nummorum in illud impoſuit, quãtum ex capſa, coniuncta manus vnica compreſſione extrahere poterãt, ſicq; in gyrum complicatum ſudarium proprijs manibus in Joannis ſinum intulit. Joannes verò qui ob alia plurima percepta prius ab eo beneficia, ſe deuinctiſſimum ſentiebat, de nihilo minus quàm de huiuſmodi præmio cogitabat. Quare veluti re inopinata percitus, dum ſe parat ſaltim gratias habere, præuentus à Pontifice eſt: qui digito ori admoto, ſilentium omnino illi impoſuit. Deinde ordiens ipſe loqui,*

* eſt nũc libellus iſte in Bibliotheca. Canonicorum S. Petri.

Dona eiusmodi, inquit, esse oportet, vt neque is qui ea percipit, inde inuidiam contrahat, neq; Princeps, qui confert, charitatis præsertim intuitu, talem admittat in se gratiarum obligationem, maximè ab ijs, quos ex miserijs eripere, & suis subleuare facultatibus æquum esse sibi statuat. Postquam Pontificis cubiculo exierat Joannes, nihil illi longius videbatur, quàm dum aurum, quod acceperat, videret, secedensq; cum solo Pyrrho sibi amicissimo, in cellam propter Pontificis Capellam, aureos nummos quingentos numerauit.

Et quia sudarij mentio facta est, addamus etiam hoc. Alterum simile sudarium aureis plenum, dedisse Pontificem huic Rugerio Cursori, eò quòd conquestus esset, nō habere se tantum in bonis, quod foret satis (etiamsi totum dotibus distribueret) multis, quas susceperat filiabus, elocandis.

Accidit fortè per eosdem fermè dies vt Prothonotariatus officium quod Participantium vocant, luculenti sanè reditus, vacare contigerit. Quo audito, Pontifex probè quibusdam mandat, vt nulla interposita mora vbi, vbi esset Guilielmus Syrletus (tūc Bibliothecarius Palatinus, nunc Cardinalis) inuestigarent, & ad se adducerent, velle enim & commodū illud, & honorem primo quoq; tempore in eum cōferri.

Pari

Pari itidem modo cum aliud mox eiusdem generis officium alienandum occurrisset, Joannem Franciscũ Sansonium delegit, quem singulari illa liberalitate sibi deuinciret. Praeterea Camerae Apostolicae clericatum, qui magni aestimari solet; D. Bozzuto gratis cõcessit.

Verum quia aliena haec sunt ab ijs muneribus, quae opificibus in sua arte excellentibus solebat distribuere, ad ea conuertamus orationem nostram, quibus fabricatores, caementarios, & lapicidas suos compensabat. Duobus enim ex his, quorum diligentiam probauerat, postea quàm ad denarium, omnia, quae collatis hinc inde rationibus, deberi illis ab Apostolica Camera constaret, persolui curasset; ipsemet praeterea eorum singulos singulis donauit officiis.

Habebat penes se arculam eburneam affabrè certe & singulari artificio factam. Huic Christophorus quidam Germanus seram aptauerat tantae paruitatis, vt humani vnguis magnitudinem haud multum excederet: attamen confertam tam multis machinis atque obicibus, tantae tenuitatis, gracilitatisqúe, vt cum summa admiratione intuentes afficerent, tum omnem quasi oculorum aspectum non obtusum quidẽ, sed acutissimum, ita fugerent, vt nec Lynceus ille ex Argonautis, nec qui Iliadas Homeri inglãdis vnius

putamine conſcripſit, dinumerare illa, aut à ſe inuicem diſtinguere ac dijudicare potuiſſet. De huius ergo peritia, & in arte ſua excellentia, eam voluptatem cœpit Paulus, vt illi (admonito priùs vt ad ſe alio tempore minus impedito rediret) numerari ſtatim aureos vigintiquinque publicè iuſſerit. Deinde verò poſt aliquot dies reuerſo, tantum auri impertiuit quantum vnâ manu tollere è capſa ſua potuit.

Iterum cùm Pater Hieremias ex familia Conuentualium, quos dicunt Sancti Franciſci, Numiſma quoddam plumbeum, quod in eius manus peruenerat, Chriſtiq; ſaluatoris noſtri faciem pulchrè repræſentabat, ad ſuã ſanctitatem detuliſſet, donatus ab ea centum aureis lætus diſceßit. Rurſus haud longo interuallo idem Hieremias cum alterum egregium Numiſma D. Petrũ exprimens, eidem obtuliſſet, tot nũmos aureos domũ reportauit, quot Põtifex vno pugno potuit cõprimere. Interrogatus igitur Hieremias à Pyrrho Ligorio ſi ad animi ſui ſententiã natura ac liberalitas Pontificis ſatis reſpondiſſet, hæc ſubiunxit, Pauli Põtificis dona pergrãdia eſſe, ſiuè illa ad numerũ ſiuè ſine numero penderentur: Excedere.n. æſtimationẽ bis tantum, & vltra. Ex quibus verbis colligens Pyrrhus

rhus summam pecuniarum quam perceperat Hieremias, superaddidit, Ergo accepisti pro effigie Christi centum nummos; pro illa verò Petri bis centum. Assentit Hieremias, vtrasq; summas ad tercentum & decem aureos ascendisse.

Pyrrhus Ligorius sanctiss. Præsuli exhibuerat lineamenta cuiusdã Tabernaculi, quod in ipsius Cappellæ ad Sacramẽti Eucharistiæ custodiã super colũnas illas quarum ante mentionẽ fecimus collocari debebat. In cuius circulo circũducta vitis diuinã repræsentabat æternitatẽ, vitisq́; palmites, fideles omnes, qui sunt Iesu Christi Saluatoris nostri germina: Exprimebatur etiã humanitas eiusdẽ Saluatoris à natiuitate vsq; ad passionẽ & resurrectionẽ suã. Deinde Apostoli duodecim apparebant quasi colũnæ firmißimæ & custodes Sanctißimi Corporis Christi: Hic eminebat sanctißima Trinitas cũ infinita sua pietate: Illic Cherubini inter faces supra candelabra accensas, circũibant loca tẽpli rotundi, quod cõplectebatur vniuersum Orbẽ, expletum & cumulatũ diuini Motoris opera: quinimò & cælum ibi stellis, ac splendore illustratum manifestò cernebatur. Primam hanc delineationẽ ipsamq́; Pyrrhi inuentionem adeò probauit pijßimus Pastor, vt illud Tabernaculũ, quasi exemplar voluerit proponi, ad

quod

quod reliqua omnia per Vrbis Paræcias, tabernacula fabricarentur. Quocirca vix iam primum inchoauerat Pyrrhus Archetypum eius ex cæra confingere, cum Paulus mandauerat mille nummûm ad illum deferri, cui iterum, ac sæpius postea dixit, quod iam dederat, arrham tantum, ac præludium esse eius, quod dare ei cōstituerat: Habere nempe se (vt eius verbis vtar) in manica sua Officium tale, quod in posterum tempus, omni illum cura, molestiaq́; liberaret. haud enim conuenire, vt Architectus Christianus & talis (qualem eum esse ipse optime nosset) necessitatis caussa alteri o aliquando Principi seruire cogeretur.

o Idem dicere solebat Pius V. P.M. profusa etiā liberalitate Princeps.

Cum die quodam Religiosissimus iste Præsul, qui dies noctesq́; de re Christi, & Religionis cogitabat, sermonem institueret de ornatu tabernaculi illius, quo Christi Corpus in solemni publicæ supplicationis festoque die deferri ex cōsuetudine debebat, ac typi aliquot in medium proferrentur, illud in primis placuit, vt ad vitis speciem exornaretur, cuius racemi smaragdis ac saphyris, folia ex auro integro & puro intexerentur. Vnde prolato canistro, quod in suo cubiculo custodiebatur, eduxit eo inter alias res charas, quæ ibi adseruabantur, numismata quædam aurea, in quibus

erant

erant & Traiani Imperatoris, dicens; Hæc fortè in nostros vsus non malè transformari possunt. Tum Phyrrus cui res antiquæ erant cordi; Rectius, inquit; Ni fallor, faciet sanctitas Vestra, si, quæ Traiani sunt, sollicitè custodiat, Fuit enim Princeps ille in Christianos mitis ac beneuolens, & vir, vt inter infideles, summæ pietatis, adeò vt vniuerso Italiæ populo simul ac semel victum vestitumq; ministrauerit. Ad cuius similiter exemplum Annia Faustina Augusta, magni illius Antonini Pij Vxor, omnibus Italiæ nostræ (cæterarum certè Prouinciarum Reginæ) puellis dotes elargita est: Vnde cognomen adhibitum, Faustinianas illas puellulas celebrauit. Quarum rerum mentio cùm in pij Pontificis mente altiùs insedisset subinde dicere solitus est, Tu mihi Pyrrhe in aure quod aiunt, pulicem. Etenim augustissimus Pontificis animus horum memoria vehementiùs cōmotus, nullo sibi modo poterat satisfacere, nisi heroicā hanc in Principibus infidelibus beneficentiam, ipse, summus Christianæ Religionis Antistes, aliqua insigni & verè Christiani pietatis opera æmularetur. In has igitur voces prorumpebat nonnunquam; Et nos hoc anno, antequàm Octobris mensis fuerit elapsus, centum aureorum millia in eos distribuemus qui

tale quicquã nec à nobis expectant, nec facilè credunt. Neque profectò tres iam integri ab eo tempore menses exierant, cum illi satis magnum auri cumulum ad id quod animo suo destinauerat, coaceruasset. Sed morte præreptus ante finem Augusti è vita cessit. Pecuniæ autem illæ in bonum pauperum congregatæ, sedis vacantis sumptibus sunt addictæ.

Assumpto in eius locum Pio Quarto, simulatque manus vltima imposita fuit Tabernaculo illi imperfecto adhuc (nondum enim æs fusum in illius formam abierat) illud Pius, vt in Principe Ecclesiæ Mediolanensi collocaretur, concessit, atque vt eò quàm primum transferretur curauit. munus certè non cõtemnendum, & tanta Ecclesia dignum, in quod explicatis omnino rationibus, constat non pauciora, quàm quinque aureorum millia fuisse insumpta, vt de reliquo, quod priuatim eius Tabernaculi fabris largitus est Paulus, taceamus.

Hæc sunt quæ Pyrrhus Ligorius familiaris Palatij Pontificij Architectus, qui præsens ea optimè nouerat, de eximia in hoc genere Pauli Quarti charitate animaduertit. Quin & simili modo in alios infinitos suæ liberalitatis fontes permanasse, nõ est quod quisquam dubitare posit. Nam pro certissimo est, sex aureorum

aureorum millia, quæ singulis mensibus ad eum delata per Datarium fuerant, plerumq; omnia occultis ac priuatis eleëmosynis in homines indigentes & virtute præditos fuisse collata.

Huc vsque ex Pyrrho. Porrò quod attinet ad sacra & vetusta Numismata, cum vulgò notum esset, iis apprimè delectari Paulum Pontificem, pertentauit aliquando quispiam adulterinis Petri Apostoli Nummis, veluti nuper in area Basilicæ Vaticanæ, sub terram repertis, profusam eius beneficentiam dolo malo in se deriuare. Sed non successit, vt putârat. Nam fraus simul & cognita, & reiecta est.

Cæterùm, quòd Paulus neq; sui vnquã tenax, neq; alieni fuerit appetẽs, disertè Onuphrius memorat his verbis: quæ, quòd huc faciunt, his quæ Pyrrhus dixit, attexere non grauabor.

Pecuniæ Paulus minimè cupidus, Clericatus, Secretariatus, & Protonotariatus magni pretij Officia liberalissimè donabat.

Osio antiquo familiari Datario declarato (quem postmodum suffecto illi Francisco Episcopo Gebennensi, magistratu amouit) Datariatus redditus suspendit, eumq; seuerè admonuit, vt nihil pecuniarum

pro impetrandarum rerum; quæ concessione parum dignæ viderentur compositionibus acciperet; quousq; à Cardinalibus nonnullis, quibus id munus demandauerat, quæ illicita essent, corrigeretur: ratus scilicet multum nummorum in eo Magistratu contra ius cogi. Complures igitur super ea re egregiorum Theologorum ac Iurisconsultorum responsa audijt; An videlicet, eiusmodi pecuniarum solutiones, quæ Compositiones vocãtur, legitimæ essent, & à sponte offerentibus licitè capi possent. Dum omnium sententias audit, grauiter aliquando in eos inuectus est, qui accipiendas probarent, ab omni auaritia alienum animum præ se ferens.

Vrbis penuriam, quæ molestissima incesserat, bis leuauit; semel antequam bellum cum Hispanis gereret, iterum, sedato bello. Antea enim ad subleuãdam annonæ caritatem triginta millia aureorum censum instituit: cuius fideiussioni bona domus Hospitalis sancti Spiritus subiecit, qua pecunia frumentum inopi plebeculæ pascendæ compararetur. Postea verò, Alteram vrbis egestatem, quæ proximo bello inualuerat, magno pietatis exẽplo leuauit. Triticũ namq; octonis aureis pro Rubro emptum, quinis plebi vendidit. qua liberalitate quinquaginta millia aureorũ absumpsit.

Hæc

Hæc ille. Ex quibus apparet verissimè ac lepidissimè dictum de Paulo, Illum neque timorem vnquam neque auaritiam sensisse.

Egregia verò eius liberalitas eò fuit iucundior, quò præter spem aut expectationem inopinatò ingerebatur. Id solummodo Paulus spectabat, vt ea in egenos meritosque promanaret. Hoc modo Antonium Augustinum, Vgonem Boncompagnum, Bernardinũ Scardæonium, Jacobum Herculanum, Franciscum Sorinium, Joannem Gropperum, Guilielmum Peytoum, Stanislaum Hosium (quos viros?) honoribus auxit. Guilielmum verò Sirletum, de quo Pyrrhus Ligorius breuiter retulit, tota Vrbe conquisitum, cum in Lateranensi Basilica, quam ille pietatis ergò inuisere singulis solebat Sabbathis, Pontificis Cursores reperissent, non modò nescium futuræ prouectionis, sed improuiso supremi mortalium vocatu nonnihil etiam territum, Pontifex cum eximiis ante laudibus extulisset, protonotariũ renũtiauit: postea & Cardinalem creaturus, si mors, ea quæ egregiè cœperat, aut concœperat, siuisset absoluere. Itaque ex his liquidò patere arbitror, *Cõsilio illum* (vt cum Seneca dicam p) *tribuere solitum,* p De Vit. bea. c. 24.

non casu & impetu spargere. Hunc promereri, illi reddere, huic succurrere, huius misereri, illum instruere; dignum scilicet, quem non diduceret paupertas, nec occupatum teneret: quibusdam offerre, quibusdam etiam inculcare. Quemadmodum Groppero fecit, quem honores summos detrectantem, & Purpureum Pileum remittentem, Romam acciuit, vt quem litteris non inflexerat, facundiâ emolliret, vel auctoritate cogeret. Itaque itineri se extemplo ille dedit; sed vi diræ ægritudinis interceptus, Romam semimortuus intrauit, vbertim cõplorante Pontifice, bonisq; omnibus tãti Viri obitum, qui paulò post in Vrbe contigit. Pauca hęc ex plurimis huc adduxi, vt palã fieret, Liberalitatem PAVLI extitisse eiusmodi, qualem Stoicorum ille disertissimus q probat, *scilicet quæ nunquam in turpes indignosque impingitur: nec vnquam ita defatigata est, vt non quotiens dignum inuenerit, quasi ex pleno fluat.*

q Sen. ibid.

ANTO-

ANTONII CARAFÆ S.R.E. CARDINANALIS, IN B. N. NARRATIONEM de Pauli IV. Vita, ad Senatum Venetum, Notæ Apologeticæ.

INstituit scriptor iste Narrationem de Pontificis Romani eligendi vario modo: sed planè ostendit, se vltra crepidam: adeò craßè hallucinatur, in historicis rebus cùm antiquis, tùm rectioribus, plurima ex vulgi errore asseuerando. Ex Italico ipsius Carafæ autographo, apud Ill. V. Ferdinandũ à Marra.

II. Quem Joannem Cardinalem appellat, Philippum appellare debuisset, vti ex Epitaphio eius Bononiæ, apertè patet.

III. Monacha, quæ Sapientiæ Monasterium fundauit, fuit Pauli IV. soror germana, femina eximiâ sanctitate. Hæc sua sponte Monasterium sancti Sebastiani olim ingreßa, postea ad alterum à Sapiẽtiæ nuncupatum, quod peste post Lautrechi obsidionem grassante, Sacris Virginibus destitutum erat, ipsa sola, vnica famula ex ijs, quæ Conuersæ dicuntur, comite, nihil secum præter sacrarum, precum Breuiarium gerens, studio seruiendi Deo arctiùs atque obseruantiùs, migrare ausa est: fundauitq́; ibi Monasterium, ob præclaram sanctioris vitæ institutionem iam satis celebre.

IV. Præ-

IV. Præsagium summi Pontificatus hoc modo contigit. Victoria Joannis Petri mater, cum pietatis votiq; caussa ad Templum B. Mariæ in Virgineo monte situm, oppidoq; sancti Angeli, vbi is natus est, vicinum pergeret, Eremita quidam ex multis qui in eo monte degunt, obuiam se illi fecit, monuitq; vt sensim progrederetur, quod Papam vtero gereret. Ipsa proinde Victoria sanctis Matrona moribus, dicere solebat suum filium fore summum Pontificem.

V. A Margarita Austriaca quæ à Maximiliano Cæsare, Belgio summa cum potestate præfecta fuerat, requisitus, vt ad eam venire ne grauaretur, libenter adijt. Id accidit postquam triennium transegisset in Britannia apud Henricum Regem, cui fuit Charissimus; narrabatq; vicissim de eo Rege Carafa, egregia virtutum semina, & quanta sibi is rebusq; suis semper fauerit. Charus admodum fuit & Ferdinando Catholico Regi, quem Neapoli nouit cũ ad illum Julij II. Pont. Max. nomine excipiendum, Neapolim adijsset. Dicebat postmodum Carafa, se tum primum Pontificale publicũ munus exercuisse, cum scilicet toto Clero praeunte, celebri pompa Regem excepit. Eximia de eius Regis pietate ac prudentia narrare solebat exempla. Ipsius verò adeò Rex fuit studiosus

diosus, vt vltrò scripserit suis administris, Rectoribus ciuitatum per quas Carafa in Angliā ituro trāseundum erat, illum splendide exciperēt hospitio. quod ij profectò præstiterunt egregiè. Inde etiā orta est Margaritæ Austriacæ habendi apud se Carafæ, studium, & petitio.

VI. Vita Carafæ reformata, quam N. memorat, fuit Clericalis instituti, fundato scilicet à se vnà cum tribus aliis Viris, Clericorum Ordine, quos vulgò Theatinos appellant, nuncupatisqúe solennibus Votis ad Vaticani Templi primariam Aram.

VII. Cardinalis à Paulo III. hoc modo creatus est. Bis per Pontificias litteras vocatus Romam, bisqúe se excusans detrectansqúe, tertiò tandē iussus obtemperauit. Romam cum venisset adiissetqúe Pontificē, primo aditu, breui auditus est. præmonitus quippè Pontifex fuerat à nonnemine, vt si vellet eum Cardinalium numero adscribere, ne sineret longa oratione suam causam tueri. alioquin sibi persuaderi & vim quodammodo sensisset inferri à disertißimo Viro, ne eum ab incœpto dimoueret. Interea grauißima pressum ægritudine, cum nihilominus statuißet Pontifex Cardinalem creare; nonnulli, quibus vitæ eius sanctitas seueritasqúe metui ac probro erat, dexterè

S Pontifici

Pontifici suggerebāt, frustra se eā dignitatē in mortuū collaturū. Quibus Pontifex, se vel mortui virtutem eximiā debere extollere. Pileum igitur purpureū ad se delatum Carafa, vbi ijs qui detulerant, breui respōdisset, gratias agerent suo nomine Sanctißimo Christi Vicario, vt ad clauum quēdam appenderent, iußit. adeò in magna domesticæ rei angustia, cùm ille, tùm alij ex Theatino instituto Patres, vitam transigebāt.

VIII. Admiranda, inquit N. pollet Vir ille auctoritate ac maiestate. Verè id asserit: eiusmodi quippè oris animiq́; grauitatem ostendit in omni vitæ suæ decursu. Hoc vnicum satis esto exemplū. Jam in Theatinum Ordinē sese receperat Carafa: cumq́; aliquādo Veronæ apud Gibertum Episcopum, sibi amicißimū, diuersaretur, Venetus quidam Patritius Vrbis illius Præfectus, excommunicationis absolutionem, in quā nefarijs actibus inciderat, in domo Episcopi, aut in Æde sacra, petere, & solēni ritu obtinere, detrectabat. immò vix in animum induxerat, vt quocunque loco Episcopo per Vrbem eunti occurrisset, absolutionem flagitaret. Contigit autē vt eo loco publicè occurrerint, quo Carafa rei conscius intererat. Hic igitur aduentanti Prætori obuiam factus, terribili obtutu voceq́;, Heus tu, inquit, flecte hic genua: & ab Episcopo tuo veniam pete. quibus ille territus verbis extēplo paruit.

Solebat-

Solebatq́; postea fateri, se Episcopi Theatini perculsum imperio ad eam demißionē petēdæ veniæ deuenisse. Idē postea iā Cardinalis, tantū habebat auctoritatis atq; pōderis, vt Sūmis ipsis Pontificib. in pretio atq; existimatione esset maxima. In Conclauibus, quæ sede vacante, acta sunt, ipse cæteros Purpuratos adeò auctoritate, & grauitate, maximè cū Decanus fuit, superabat, vt Pontificē se habere, etiā Pōtifice orbatis, videretur; tā liberè & ingenuè redarguebat publicè prauas quorumdam artes captandi Pontificatus. Quocirca palā aliquandò & prolixè dixit Cardinalibus, sibi significatū fuisse, ꝙ inter fratres surrexisset quidā Simō magus: illi itaq; se denuntiare irā Dei. Neq; verò de dicēdi libertate remittebat timore vllo maleuolētiæ inuidiæq́;, q̄ in se eà ratione cōcitaret, aut ne sibi his modis aditū ad Pontificatum summum p̄cluderet. Eo.n. erat zelo diuini honoris imbutus, vt præ illo quamlibet magnam dignitatem nihili propemodum faceret.

IX. Erat corpore benè sanus ac firmus; & quoad vixit (vixit autem diutißimè) numquam potione medica, aut sectione venæ, aut aliquo eiusmodi subsidio vsus est, sola cibi potusq́ue parcitate salutem sibi seruans, aut (summum) aliquo lenißimo pharmaco è rosis herbisúe q̄busdam confecto: nouerat.n. herbarum stirpiumq́; vim optimè, ꝙ Auicennæ opera & Salerni-

tanæ scholæ libellum memoria teneret; Galenum verò græcè legisset à capite ad calcem. Quocirca horum doctrinis instructissimus, sæpè cum medicis & libenter disceptabat. Quin & festiuè dictitabat, se quidē à nemine superari in Medicis honorandis æstimandisq́; his argutè significans, se ijs non vti; vt videlicet fit de preciosissimis gemmis, quæ quòd magni æstimentur, perpetuò in arculis clausæ custodiuntur. De caseo Placentino quod dicitur, videri certè poterat Paulus, eo libenter vesci ob distillationes compescendas, adeò magno apparatu suis ipse manibus, casei varia frusta scindebat. Reuerà tamen nihil aut pauxillulum casei comedebat. Erat is certè ex crebro catarrho grauedinosus, ob id dicere solitus, grauedinem quam excreatione purgabat, esse sibi vice podagræ.

X. Humanioribus litteris erat egregiè excultus & græcè latineq́; scientissimus. Philosophiam ac Theologiam, eam maximè quam S. Thomas Aquinas scriptam explicatamq́; reliquit, probè quidem nouerat; sed antiquorum Patrum doctrina præcipuè delectabatur. Sacra Biblia ad verbum edidicerat, ex ijsq́; grauissima sua dicta condire consueuerat. Memoria erat adeò tenaci præditus, vt in extrema etiam senectute integras è M. Tullio, aut è Virgilio alijsq́; auctori-

ctoribus paginas inoffensè recitaret. In conuentu quodam Cardinalium atque Episcoporum, cum Hispanus quidam Episcopus vt suam sententiam elegãtius proferret, è Verrina Ciceronis, benè multa mutuatus, longiusculè procederet, Carafa interpellans hominẽ, Satis, *inquit,* Verrinarum. *Si quem vel secretò vel publicè coargueret, correptionem eiusmodi semper sententia aliqua sacræ scripturæ veluti fundamento fulcroúe firmabat. Non rarò etiam si cum eruditis ageret, ex Homero, cuius carmina multa edidicerat, mutuabatur. Itaque reprehensiones monitaq́ eius insignis eruditionis plenæ erant. Vt ad Theologiam reuertamur, solebat appellare ciuem suum B. Thomam Aquinatem,* Baculum suæ senectutis: *dicebatq́,* Neapolim dum illum pareret, obiisse. *ijs verbis acutè significans, numquam alterum illi similem parituram. Eloquentia fuit incredibili, maximè dum latinè diceret: latinè enim eloquebatur tã facilè, promptè, nitide, vt Italice. Quocirca, qui eam linguam probe callerent erant ei admodum chari. Cuius rei argumentum est adsciuisse illum in Aulam quatuor extraordinarios Secretarios* r *latinè disertißimos.* r Hi fuêre Casa, Barengus, Binius, & Florebellus.

XI. Vitæ puritas innocentiaq́ fuit in eo Viro admirabilis. Assueuerat à tenera ætate (vt purum se

à vitiorum cōtagione seruaret) corpus tractare rigidè atq; asperè. Honestissimo fuit eloquio: nihilq; obscœnum vnquam ex eius ore auditum est. Itaque quod græcè τὸ πρέπον, latinè, decorum dicitur, in omni gestu actuq; adeò sanctè seruabat, vt nihil in eo ineptum, insolens, incōcinnum notari posset. In potu atq; pastu adeò continens & moderatus, vix vt vires aliquantulum reficeret. Nam etsi Pontifex summus lauto & magnifico apparatu, pro dignitate scilicet amplissimi Præsulatus, mensas vicenis quinis dapibus instructas sibi inferri voluit, nunquam tamen quicquam petijt quod sibi iucundius saperet, sed ex ijs quæ apponebantur, parcissimè sumebat. Quòd importuno adeò tempore pranderet, id è somni conditione oriebatur. parum quippè dormiebat: & quacunq; hora somniculus irreperet, tunc captandus erat, ne fugeret. Quocirca dicere solebat, posse, vt libet, somnum capere, non in hominis situm facultate, sed Dei esse donum. Noctu cum obdormire non poterat, surgebat è lecto, neminem tamen è famulis excitabat, neq; omnino alicui molestiam afferebat, ne scil. somno, quem donum Dei appellabat, quempiam priuaret. Cum itaq; adeò difficilè Pōtifex somnum caperet, meridiari interdum solebat, non lecto decumbendo, sed in sellula sedendo. Hinc variè eum surgere, nunc nascente, nunc adulto iā die. Hinc & prandere nō stata hora, sed mutabili, &

incōstanti. Comedebat verò, vti iam dixi, parcissimè: & mirabantur famuli, eum tenui adeò cibatu vitam tolerare posse. Vini item parcissimus fuit, cyatho vsus tam exiguo, vt auiculis propinari crederes, ipsoq; non nisi bis, aut summùm, ter hausto. Vinum, ne ad crura infirma descenderet, hauriebat atrum & crassum, aduectum scil. è Tarracinorum vineis, q̄ in agro Pausilypico. Numq̄ vti iste dicit, à prandio vinum Creticum bibit, satis ducens eo os abluere; arbitror, vt dentes firmaret senio vacillantes. Extendebat sua prandia satis diu, quòd identidem inter comestionem de rebus etiam serijs differere soleret, propalabatq; interdum nonnulla, q̄ fortassis reticere eo loco oportuisset. Sed vt erat ingenuo ore & libero, ac natura etiam biliosus, edicere non verebatur quædam q̄ animo concepisset. Paucis mensib. anteq̄ vita excederet, non iam publicè, sed priuatim interiore cubiculo comedit, ob ægritudines videlicet, quibus in præcipiti senio infestari cœpit. Altera, inedia fuit, ob stomachi fastidium nihil appetentis. Altera, Hydrops, quo & interijt. Inediâ, in vernis Quadraginta dierum ieiunijs vt plurimum vexabatur, tum ob ciborum qualitatem, stomachum relaxantium, tum etiam quòd ijs quadraginta diebus, continenter ieiunaret. Itaque tantam inde debilitatem contrahebat, vt aliquando contigerit, vix tantillum ei superesse virium die sancto

Paſchæ, vt ſolenne ſacrificium quod inchoauerat ad exitum perducere poſſet. Tempore item (quod dicunt) Aduentus Chriſti Domini, ter in hebdomada, hoc eſt, diebus Mercurij, Veneris, ac Sabbatho, ſanctè ieiunabat. alijs autem diebus ab eſu carnium ſaltē abſtinebat. Id exemplum tātam vim habuit, vt verè dici queat eo Pontifice reſtitutam fuiſſe obſeruationē ſolennium ieiuniorum. antea enim paßim publiceqúe violabantur. Neque enim inter Aulicos quiſquam propemodum ieiunabat, præter paucos quoſdam ſacrificulos, ad quos ſolos eius ſanctæ inſtitutionis obſeruatio reiecta fuerat.

XII. Quòd Cardinales, vt inquis, paruifaceret, illuderat in cauſſa, cōperiſſe eū, dum Cardinalis eſſet, nonnullos illorum ludis atque voluptatibus emollitos, licentius viuere, quàm, vt eis poſtmodum credere aut honorem deferre deberet. His ipſis tamen, ſi verum fateri velimus, multò Paulus, quàm alij retro Pontifices benignior atque beneficentior extitit, ſæpè eos ad audientiam ritè atque ordine admiſſos conuiuio humaniſſimè excipiens, & ſuam in eos beneuolentiam reapſe magis quàm verbis expromens. Cardinali Mediceo Mediolanenſi, illi inquā, qui Paulo ſuccedens Pius IV. appellari voluit, grauiter ægrotāti

atque

atque ob id Aquas Lucenses adire cupienti, misso Cardinali Alphonso Carafa, qui illum suo nomine inuiseret, mille nummos aureos subsidij gratia elargitus est. Ij profectò, quos Paulo probitas integritasq́ commendasset, mirum quantum apud eum in rebus omnibus gratia atque auctoritate poterant. Ex ijs fuêre Cardinalis Sancti Iacobi, Carpensis, Paceccus, Sabellus, Nobilius, atque nonnulli id genus alij. Cardinales, quos conuiuio dignabatur, ij erant propemodum, qui cum Pontifice loqui postularent. hos audire solebat à prandio, admodum comiter. Præfecti item Officio signaturæ, post obsignata Diplomata crebrò cum eo conuiuabantur. Semel verò singulis annis, Lupercalibus scilicet, vniuersum Cardinalium Collegium. Cuius instituti eam reddebat rationem, decere se interdum vnâ cum suis fratribus filijsq́ recreare. Inito Pontificatu, rogatus quanam ratione vitam instituere vellet; Munificè, *respondit,* & more Principum. *nunquam enim ipsi sordida, & Cynica vitæ ratio placuerat. Postulare verò, aiebat, Summi sacerdotij Magistratum, vt magnificè ac splendidè ob Christi Regis gloriam geratur. Vt videlicet amplitudo illa, ac dignitas, quam mundanus sibi fastus vendicat, ea omnis, ad Christi maie-*

statem exaugendam, iustiore titulo Ecclesiæ Rectoribus, moderatè tamen atque decenter tribuatur.

XIII. Non solum in gerendo Sanctæ Inquisitionis Magistratu, zelo fidei permotus, in Hæreticos quosq; vehementius efferebatur, sed etiam in tria alia hominum genera, Hebræos, Apostatas, Simoniacos: suiq; sancti odij in eiusmodi pestes atq; pernicies Christiani Orbis egregia, quoad vixit, edidit exēpla; quippe qui vel tūc cum priuatam vitam Venetijs ageret, Hæreticos insectatus est acerrimè; monuitq;. Venetæ Reipub. Moderatores, nulla propemodum alia ratione posse eam Remp. ruere, quàm prouocata in se Dei ira, si ad Hæreses conniuerent. Itaq; cum cuiuspiam Hæresis detegeretur, protinus ad Carafam, priuatum licet hominem, accurrebatur; nimirum vt in Hæresis postulatum inquireret, puniendumq; Magistratibus traderet. Cum aliquādo Patauij degeret, sua auctoritate effecit, obtinuitq; vt Hæreticus quidā insignis è Ciuitate pelleretur. Paulo III. P. M. auctor fuit, vt Tribunal Sanctæ Inquisitionis, in Vrbe cum amplissima potestate institueretur. Quæ res quàm faustè ac salutariter Vrbe Romæ, Italiæ, atque Orbi vniuerso cesserit, nemo non videt. Supremus Inquisitor is ipse factus est, habuitqúe Collegas Cardinales quatuor,

quatuor, videlicet S. Jacobi, Carpensem, Cortesium, & S. Crucis. Quanquam autem pauperrimus Cardinalium erat, suo tamen sumptu, Domũ, atq; instrumentum, quod Magistratus administris opus esset, cõparauit. adeò sacram hanc in hostes Hæreticos expeditionem accelerabat. Julio III. Pont. Max. nunquam assentiri voluit, vt fraterculus quidam Hæreticus, vel vadimonio dato, carcere dimitteretur. iubenteq; identidem Pontifice, vt id permitteret, Cubiculario q; sibi eiusmodi mandatum significauerat, respondit, Dic meo nomine Summo Pontifici; Nisi Sanctũ hoc Officiũ ritè, vt par est, & legitimè exercendũ curet, præter iniuriã quæ Deo infertur, non posse deinceps se, in ea Cathedra sedere, vbi nunc sedet. *Cum Neapolitanã Ecclesiam Archiepiscopus regeret, sectam illam Valdesianã, quæ Cãpanis populis exitiũ importatura timebatur, funditus deleuit. Iudæos, vt à Christianis glauci coloris signo distinguerẽtur, salubriter sanxit; eorundẽ vsuris modũ imposuit: & vilissimo Vrbis loco, certis septis, ne cæteros cõtaminarent, cũ antea Christianis mixti degerẽt, cõclusit. In Apostatas, lata lege, cauit, vt ad Monasteria, vnde quacunq; ex causa exijssẽt, protinus reuerterẽtur; Judicẽ eiusmodi hominũ, singulis Ordinũ Præfectis*

T 2 confi-

conficere, sibiq; exhibere iussis. Ne quis verò excusationem moramq; prætexeret, abrogauit priuilegia omnia à superioribus Pontificibus, ijs concessa. Si qui non obtemperauerunt, prætoriano satellitio capti, in carceres, aut in triremes coniecti sunt. illud pro certo habens, nullum id genus hominem, qui fidem suo Ordini ac Deo pollicitam violasset, probum esse virum aliqua ratione posse. Si quis ex ijs, veluti antea notus carusq; sibi præsentatus fuisset, reijciebatur, auersante eos Paulo, dicenteque; Non noui vos. *Quis verò superiorum nostri seculi Pontificum adeò resecauit Simoniæ corruptelam vt Paulus, qui à Dataria etiam, quodcunq; compositionis genus longè remouit? Ipse, si quem vel leui indicio odoratus fuisset hac labe infectum, sua protinus gratia necessitudineq; perpetuò excludebat. Ipse, hoc immane crimen, vtpote Hæresi, impietatique conterminum, à Judicibus Sanctæ Inquisitionis cognosci atque puniri voluit; illud semper in ore habens: t* Gratis accepistis, gratis date. t Mat. 10
Ipse, Regressus (vt vulgo loquimur) eorumq; compositiones, vel flagrante bello, & exhausto Ærario, constantissime sustulit. Ipse, vel tunc cum Theatinus esset Episcopus, cauit, ne pro collatione cuiuspiam Ordinis, aut alius Sacramẽti administratione quicquam,

quam, ne Notario quidem aut Secretario, pro litterarum Episcopalium scriptione solueretur. Ipse, postmodum Summus Pontifex, edita lege, sanxit idipsum quod S. Gregorius Magnus, olim sanxerat, ne scilicet Archiepiscopi pro Pallij susceptione, quod ante pendere solebant, deinceps penderent.

XIV. Solennes preces, quas Canonicas vocant, quotidiè vnà cum alijs miscere consueuit; postremò, etiam cum Cardinali Alphonso, fratris sui nepote, vt scilicet pijs iuuenem exercitationibus assuefaceret. Recitabat verò adeò grauiter, piè, compositè, atq; si à Deo se conspici, audiriq; semper aduerteret. Fuit quippe Paulus, vt omnes norunt, religiosissimus. Ac nemo tam sedulò, & apparatè, ea quæ ad Diuinum cultum pertinerent obibat, atq; ille. Videbaturq; decora quadam aptitudine venustaq; grauitate ad hæc factus. Sæpe in Sacello Pontificio errata, quæ in sacris Cerimoniis committebantur, corrigebat. Ipse verò cum rem Diuinam ageret, mirum, quanta cum maiestate, quam etiam profunda ac sonora vox exaugebat, sese gereret! multos sacros ritus vetustate corruptos reformauit; amplo instrumento Sacellum instruxit: quippe harum rerum peritissimus singula prudenter, appositeq; disponebat. Sacrum manè fa-

cturus, vesperi incipiebat sese totum ad rem tantam disponere, enixè Deum rogans, vt suum administrum pijs affectibus imbueret. Hinc postmodum sacrificāti perpluebant in ora lacrymæ: adeòq; Deo plenus videbatur, vt adstantes mirificè afficeret. A solenni sacro ad prandium vsque expletum, nihil prorsus admittebat, nisi ea quibus Spiritus in pietate proficeret. Is fuit primus qui Palatinas cōciones instituit, quas audiebat clanculum, inclusus lignea cellula, vti hodieque Summi Pontifices factitant. B. Petro Apostolorum Principi, eiusq; veteri Basilicæ à Constantino Cæsare exstructæ erat addictißimus, dolésq; vt noua fieret, fuisse euersam, dicebat, Destructo Templo materiali, destrui cœpit & spirituale: quòd scilicet ob Diploma recentis fabricæ à Pontifice editum, Lutherus hæreses suas cœpisset euomere. Ad ingentem verò imperfecti Ædificij molem illud è Virgilio intorquebat. Pendet opera interrupta, minæq; Murorū ingentes. Æne. 4.

XV. Vt Francisco Mōmorantio, Annæ Magistri equitū filio primogenito, liceret in matrimonium ducere Dianā Valesiam, Henrico Galliarū Regi ex nobilis matronæ contubernio natā, id verò abnuit cōcedere Paulus: quippe quòd ipsemet Franciscus fatebatur, se iā antea Piennæ Haluiniæ nobili puellæ fidem dedisse.

dediſſe. Itaq; corā Pontifice inſtituta ea diſputatio eſt, an ipſi fas eſſet dirimere matrimoniū ratum (quod dicunt) nō tamen conſummatum. Paulus quidē egregiè eruditus, & veri iuſtiq; cultor eximius, nōnullos q; veluti auctoritati Pontificiæ blandientes, affirmabāt, acriter obiurgauit. In ijs Magiſtrum Franciſcum Barbā Neapolitanum, Sacrario Pōtificio Præfectum nunq̄ in priſtinam reſtituit gratiam, niſi antea ſeriò promiſiſſet, ſe Durandi libros, cuius temerariam quandam & præcipitē ſententiam de Sacramento Matrimonij inter diſputandum retulerat, protinus è ſuo cubiculo longiùs remoturum, ac nunquam deinceps lecturum. Porrò Pontifex non ſolum rebatur matrimonium clandeſtinum, eſſe verum matrimonium, verum etiam non debere ſe huiuſmodi clam inita & rata matrimonia diſſoluere. Dum verò hæc in cōuentu Theologorum præſente Pōtifice, agitarentur, finita aliquando diſputatione Paulus Cardinali Piſano venuſtiſsimè dixit, Manè huc intrauimus cum ſeptē Sacramentis; nunc verò ſi horum aliquot audiamus, cum ſex tantùm egredimur, quaſi vnum nobis per viam è ſacculo exciderit.

XVI. Publicè audiendo reſponſandoque erat profectò prolixior. Inde factum, vt non admodum

crebrò

crebrò audientiam præberet. Consistoria item diuturna. Admirabili enim illa sua & strenua eloquentia diu & longissimè disserebat, Neque facilè est reperire, qui tam disertè, appositè & copiosè diceret. Vitia vehementissimè obiurgabat, atque insectabatur, adeò, vt auditores metu consternaret. Contrà, in rebus lætioris argumenti iucundè ac festiuè versabatur, decorè tamen & cum dignitate: neminem irridens, neminem lædens, nihil ineptiarum effutiens aut nugarum. Tametsi verò (vti diximus) in vitia atque scelera, acerbiùs inueheretur, verborum tamen erat illa asperitas, non imi cordis: quippè alienus prorsus à sæuitia, immò & benignus admodum fuit. Quocirca erga illos ipsos quos asperiùs appellasset, mitem se postmodum exhibere, & cuncta quæ iuste petijssent, concedere. Nullius vnquam vel debita necis aut auctor fuit, aut conscius. Neque enim suggerentibus de quoquam capite plectendo, aurem aliquando præbuit, neque capitales caussas ad se deferre Urbis Prætorem passus est, priusquam lege ageret. Dedecere namque dicebat Pontificem Maximum immiscere se vel iustis cædibus; & fundendi sontium sanguinis à se veluti licentiam sumi. Vt suspecti criminum aut delati

lati carceri truderentur, id quidem facilè permittebat, iubebatúe. Videri, aiebat, id satis fore, & hastam intentare, non etiam infigere oportere. Idque non verbo magis quàm facto ostendit. Quippe qui, vel cum bellum illud exardesceret, tam multos nobiles viros prœlio captos nullo vnquam eiusmodi supplicio animaduertit, quod retractari non posset, etiam si iure licuisset.

XVII. Longe à vero abest, Paulum Pontificem ab adulatoribus se vnquam laudari siuisse, aut assentatoribus libētius, quàm veri delatoribus iustiúe suasoribus aurem præbuisse. Id equidem haud inuitus concesserim, Virum illum vtpote qui tandiu vitam semotam à turbis, mundiq; flagitijs duxerat, difficile credere potuisse ijs qui homines existimatione innocētiæ apud se florentes criminis cuiuspiam aut vitij detulissent. Immò, quos semel probos existimasset (vt erat ipse probus, atque ex se, alios facile dimetiens) miris extollebat laudibus: neque inducere in animum optimus senex poterat, se illos vnquam decepturos, speq; sua atque opinione fraudaturos. Accedebat, quod Pontifici natura bilioso, atque iracundo, nemo audebat id quod ei commodum atque honorificum fortasse fuisset, expromere. Itaque quòd veri delatio-

nes aliquando non admiſerit, id ei vitio non eſt vertẽdum, ſed ad eas, quas nuper diximus cauſſas referendum. Eius rei clariſsima exſtant exempla. Multa n. de quibus certò ſciuit incommoda, extemplò ſuſtulit, eiectis domo atq; Vrbe vel cariſsimis ſuis propinquis, fratris ſcilicet filijs, eorũq; aſſeclis. ſolebat autẽ de ijs illud Euangelicũ vſurpare; Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te: *differebatq; Chriſtum Dominũ noſtrum his verbis ſub vocabulo oculi intellexiſſe, quicquid homini eſt cariſsimum; quippe nihil luce oculorum carius eſſe poteſt. Summa eſt. Qui de Paulo ſecus opinatur, planè fallitur, & leues vulgi rumuſculos inaniter captat.*

Reſtat nunc tandem id quod præcipuum eſt inter Pauli IV. geſta bellum ſcilicet illud & belli cauſſas edicere. Inde liquidò, opinor, cuiq; patebit, nullam fuiſſe in eo Sanctiſsimo Pontifice prauam affectionem, ſed rectum ſolummodo zelum diuini honoris, & tuendæ Pontificiæ dignitatis, quam non Reges Catholici, Cæſareſúe inclyti, ſed alij quidam ſuis artibus violare pergebant. Patebit item quàm proteruè mundus oderit ſeruos Dei, & quàm impensè nitatur Satanas Diuini Numinis cultum & gloriam impedire. * * *

Hæc

Hæc & alia multa habet Carafa: ille inquam Cardinalis quem Billius, Bencius, Baronius, aliique insignes Scriptores tantoperè laudant. Ego autem sisto hic calamum, Lector, & desino de industriâ, exscribere in hunc librum ea, quæ Cardinalis ille Optimus ingenuè & fusè disserit de eius funesti belli caussis. Verum enimuerò ne tibi istã penitus surripi conqueraris, verba in compendiũ conferam, vt saltem aliquot capita rerum habeas.

Enumerat igitur Carafa, Episcopi Theatini gesta quædã, dictaq; liberiùs, ob quæ in se Aulicos, Regiosq; Administros cõcitauit. Recenset item quæ Ferdinando Regi Catholico, quæ Carolo eius Nepoti cõsuluit. Dehinc delatorum criminationibus dimissum ab Aula, & specie honoris, Brundusinæ Ecclesiæ Archiepiscopum fuisse designatum, vt relicta Hispania in Italiam concederet. Post multos annos à Paulo III. Romam euocatum, & inter Purpuratos Patres adscriptum refricasse offensæ caussas, non alia sua culpa, quàm nimis ingenuæ virtutis. Nam quia multorum dedecora, vitæ suæ exemplo redarguit, hoc est, tenebrionum oculos luce clariore perstrinxit, odium (vt fit) atque inuidiam reportasse. Narrat

deinde Christiani Orbis, quâ ab Hæresibus, quâ à flagitiis, vitiisq; incursantibus, deformationes. Ex his colligit, quàm valde indigeret Catholica Respub. Pontifice, qui non sua quæreret, sed quæ Jesu Christi. Aduenisse autem Paulum omnibus virtutibus imbutum, atq; eo tempore, quo hinc peccatis hominum Dei iram prouocātibus, hinc Proceribus quibusdam sese opponentibus, minus sperabatur. Insedisse eum Petri Cathedræ, nihil minus tūc cogitantem, quàm arma aut turbas; vtpotè senio pressum, & ad Vniuersale Concilium, vti statuerat, Romam cogendum, & Ecclesiæ reformationem instituendam, pacis indigum. Verùm hæc omnia tam sapienter cogitata, tam salubriter incœpta, quorundam hominum, sibi ab eius integritate metuentium studio atque artibus fuisse corrupta, hinc scilicet exasperato ob conspirationes Pontifice, hinc aliorum etiam, prospera cuncta promittentium, persuasionibus allecto.

Non narrat belli historiam Carafa : Neque ego narrabo. nihil enim opus; cùm tot scriptores, quicquid in eo gestum est fusè & diligenter exponant: Et licet nonnulli ex eis, acerbius de Paulo lo-

lo loquantur, tamen ex his quæ toto hoc libello dicta sunt, satis patere arbitror, se vel suos affectus, vel fatuæ plebeculæ susurros, in consilium condendæ Historiæ aduocasse. Legimus & Sanctum Leonem IX. immeritò apud quosdam malè audiuisse, quòd cum Nortmannis, Catholicis scilicet hominibus, vt eos Italia pelleret, bellum infeliciter gesserit. Tanti est ab rei euentu, animi scopum atque sententiam iudicare. Et tamen Paulus noster, neque prælio captus, neque Beneuentum abductus, vt ille, est. immò pacis conditiones sibi Ecclesięque valdè honorificas à Catholico & piissimo Rege Philippo oblatas, accepit.

Porrò obitum tanti Viri, per se triste ac funestum satis, illæ quæ secutæ sunt furiales turbæ & immania in eius statuam scelera magis magisque funestarunt. Ea consultò omittit Carafa; & nos silentio obuoluimus non inuiti. Infanda enim atque execranda quò bono narrentur? Non reticebo tamen, quod & te obseruare Lector, velim, ea ipsa die, qua Christi Vicarii simulacrum fœdo ludibrio confractum, deiectum, dein verò raptatum est, raptatos olim in eadem Vrbe Roma fuisse Hermã, Serapionem, ac Poliænum martyres.

vt Latinæ Græcæque Ecclesiæ Fasti memorant. Adeò verum est, quorum vita conueniat, & mortisquoque genus diemque sępenumerò conuenire. Neque equidem dubito propiorem Sanctis Martyribus locum Pauli spiritum in cœlo reperisse, cuius vitam ipsam atque nomen homines insignitè improbi, per insanam rabiem extinctum cupiuerunt. Quam verò ob rem id cupiuerint, Declamator quidam verè explicat & liberè: u *Quia*, scilicet, *Dei honorem zelatus est ad Christi formam: Quia de medio sustulit impios: Quia flagris cæcidit blasphemos: Quia à prædonibus tutatus est negotiantium merces: Quia flammis dedidit Hæreticos & prædicones: Quia in ergastula coniecit Apostatas: Quia neminem permisit impunè mœchari: Quia Judæos conspicuo signo distinxit à Christianis: Quia quosdam immeritos indignosq́, noluit in Senatum Purpuratorum Patrum adlegere: Quia Aulæ mores à recto tramite deuios corrigere studuit: Quia Orbem legibus salutaribus coërcuit: Quia fratris sui filios ipsemet eiecit: (è qua vel vnica re cognosci potest, carόne an spiritus in eo vim habuerit.) Denique, vt finiam, quia sanctis prorsus moribus, quoad vixit enituit.*

u Extat Declamatio hęc M.S. apud Illustrissimum Decium Carafam Cardinalem.

Plura

Plura Declamator ille habet; sed non plura ego nunc subiicio. est quippè dicendorum & tacendorum modus: præsertim cum ex his quæ protulimus satis argumenti desumi possit ad deprædicandam *B*eatissimi Præsulis inclytam virtutem, atque ad illustrandam felicem Viri sortem, qui quod in clade *B*orbonica non potuit obtinere, tunc scilicet, cum ipse & Sodales eius vndecim flexo ante CHRISTI Aram poplite, ictum barbarici gladij cupidè expectabant, ipsemet diu post, passus est mortuus, saltem in lapide martyrium. Leguntur quidem & Constantino & Theodosio, Magnis atque Optimis Principibus deiectæ confractæque Statuæ: at probrum huiusmodi neque illis, neque PAVLO nostro nisi gloriam cœlo terraque peperit. Itaque & de PAVLO dici poterit id quod Nazarius, disertus ille Orator, de Constantino Cæsare dixit. *Quid tandem assequeris cæca dementia? aboleri hic vultus non potest: bonorum omnium pectoribus infixus est; nec commendatione marmoris, aut pigmentorum fucis renitet, sed desiderio efflorescit animorum. Una denique Pauli obliuio est, humani generis occasus.*


Et verò

Et verò quis vnquam proborum hominum Pauli IV. magnanimitatem, innocentiam, liberalitatem, zelum, iustitiam poterit obliuisci? Nil opus est igitur vltrà addere. Quocirca de Sanctissimi Præsulis vita atque obitu, ex aliorum verbis quasi centonē quendam Historicum hactenus consuisse, sit satis.

FINIS.

I. Machab. II.

Elias dum zelat zelum legis receptus est in cœlum.



Epitaphium Pauli IV. P. Max. Lateritio tumulo conditi, Inc. Auct.

Si tua non pendet Parijs innixa columnis
Paule, nec est titulis vrna superba tuis:
Sat tibi pro tumulo cœlū est. nam maxime Virum,
Non alio poteras marmore Paule tegi.

In S. Mariæ super Mineruam,

Ad quam Ædem, septimo post anno, celeberrima pompa translatum est Pauli IV. corpus.

IESV

JESV CHRISTO, *Spei & vitæ fidelium.*

PAVLO IV. CARAFAE PONT. MAXIMO, ELOQVENTIA, DOCTRINA, SAPIENTIA SINGVLARI, INNOCENTIA, LIBERALITATE, ANIMI MAGNITVDINE PRAESTANTI, SCELERVM VINDICI INTEGERRIMO, CATHOLICAE FIDEI ACERRIMO PROPVGNATORI,

PIVS QVINCTVS PONT. MAX. GRATI ET PII ANIMI MONVMENTVM POSVIT.

VIX. ANN. LXXXIII. MEN. I. DIES XXI. OBIIT CIↃ. D. LIX. xv. KAL. SEPTEMB. PONT. SVI ANNO. V.

VITÆ
CAIETANI
THIENÆI,
BONIFACII A COLLE,
PAVLI CONSILIARII,

Qui vnà cum Paulo IV. tunc Theatino Episcopo, Ordinem Clericorum Regularium fundauerunt.

Eodem Auctore R. P. Antonio Caracciolo Clerico Regulari.



COLONIÆ VBIORVM,
Ex Officina Joannis Kinckij, Anno M.DC.XII.

DE CAIETANO THIENÆO

Variorum Scriptorum Elogia,

I. Diarium Vicentinæ Sodalitatis Sancti Hieronymi, Ad Annum M. D. XIX. fol. 9.

Caietanus Thienæus, Protonotarius Apostolicus, Canonici iuris Doctor, Deuotissimus vir, & diuino plenus Spiritu, atque adeò vita moribusq; Sanctissimus.

II. Et fol. 23.

Reuerendus Dominus Caietanus Thienæus deuotus seruus Jesu Christi inijt Sodalitatem S. Hieronymi V. Jdus Januarij M.D.XIX. Jpse fuit lumen, & splendor nostræ Societatis, ac beneficentiæ columen. Porrò quæcumq; dixero, minora sunt eius Viri merito.

III. Jo. Petrus Carafa tunc Presbyter Regularis, postea Pont. Max. Paulus Quartus nomine, in Epistola ad Mariam Sororem scripta, pridie Kalend. Octob. M.D.XXXIII.

Inter meos charos fratres præcipuus est ille, quem

in oculis fero, meus inquam Caietanus. Deus ipse nouit quàm difficilè eum à me auelli passus fuerim. Spero autem fore vt per Dei gratiam noscas quàm sit bonus Christi seruus, & quàm meritò illũ ego diligã.

IV. Idem Episcopus Theatinus, Epistola ad Mariam Franciscam Longam, eximiam illam Matronam, De qua Tursellinus, Histor. laur. lib. 2. cap. 10.

Ego vicissim, Domina, cognoui, non frustra nos in te fidem habuisse, quia non excepisti iam dictos meos fratres (Caietanum Thienæum, & Joannem Marinonium) vt homines ab hominibus missos, sed vt Angelos sanctos diuino numine delegatos.

V. Onuphrius Panuinius, In Vita Pauli IV. citra medium.

Caietanus Thienæus, nobilis Vicentinus, vir Sanctus.

VI. Index M. S. Sanctorum & Beatorum Ecclesiæ Vicentinæ, Apud Fortunatum Cassinensem.

VII. Idus Augusti, B. Caietanus Confessor, fundator Ordinis Theatinorum.

VII. An-

VII. Andreas Schottus Antuerpiensis In Itinerario Italiæ, fol. 62.

Quibus (Illustribus Præsulibus) adnumerandus est. D. Caietanus Thienæus, vnus ex institutoribus Patrum Theatinorum.

VIII. Jacobus Marzarius lib. 2. Historiæ Vicentinæ, Ad Annum M.D.XXIV.

Caietanus Thienæus II. Protonotarius Apostolicus, sacris humanisqúe litteris eruditissimus, vita Vir innocua, Ordinem Theatinorum, vna cum Episcopo Theatino, cui postea ad Summum Pontificatum euectò nomen Paulo fuit, per hæc tempora fundauit.

Vniuersè autem, quàm sint Deo chari ij qui Ordinem aliquem Religiosum fundauerũt, eiq; viuendi leges atque instituta tradiderunt, docet CHRISTVS ipse, Dominus noster, & Summus ac Sapiẽtissimus Legislator, qui cùm S. Franciscum eiusque Instituta laudasset, subdit hæc verba à B. Brigitta relata.

Lib.7.Reuelat. Cap.20.

Ita etiam omnes aliæ Regulæ, quas amici mei inceperunt, & ipsi personaliter tenuerunt, & seruauerunt, aliosq́; eas efficaciter docuerunt, non fuerunt dictata & composita ab ipsorum intellectu & sapientia humana, sed adspiratione eiusdem Spiritus sancti.

CAIETANI THIENÆI VITA.

CAIETANI Thienæi inter IV. Viros nostri Ordinis Conditores, post Carafam, præcipui, gesta aliquot, quæ tempus atrox, & seuera nostratium incuria obruere non potuit, scribere aggredior. Opus, vt mole perexiguum, quòd eius Viri actus, maiorem longè partem, cum damno posterorum lateant, ita difficili rerum conquisitione, quæ me diu tenuit, planè laboriosum. Illud verò mihi interim persuasum habeo, his licet paucis virtutum exemplis, nō inuitari modò, sed etiam, quibusdam quasi stimulis incitari posse eos, qui ad hæc legenda audiendaúe studiosè accesserint. Adeò luculentam perfecti Viri imaginē vel paucorum gestorum lineę, si non ad viuum referunt, indicant nihilominus arguūtque veluti Leonem

vnguis.

vnguis. *Habet quippè hoc*, ille ait, a *omnis celsa virtus, vt tametsi non æquè appareat ac niteat, sibi tamen eadem sit, & more solis obscuri vim suam exerceat in occulto.* Ex abdito enim virtutum eius thesauro promanasse arbitramur, Vicentinorum, (vt alios prætercam) in eum reuerentiam ac religiosum cultum, qui adeò iam excreuit, vt imaginem eius, quam priuato saltem cultu venerentur, passim exquirant, & meam hanc de sanctis eius moribus rebusque gestis lucubrationem, breuem licet, ac multis hiantem lacunis, summis votis efflagitauerint, & penè conuitiis extorserint. a Sen. Epi. 116.

Natus est CAIETANVS Vicentiæ, quæ Italiæ in Venetis Vrbs est ornatissima; Genus ei ab vtroq; parente illustre admodum, & cum paucis comparandum. Porrò nos & si maiorum decora (nam aliena videri possunt) non maximi facimus, nequaquam tamē ducimus prorsus prætereunda: quippè prosapiæ claritudo præsentem virtutem si non maiorem, longè certè clariorem facit. Itaque raptim memorabimus è Thienæa stirpe Hugutiones duos, alterum ante ccccxx. annos Cœlestino III. Summo Pontifice S.R.E. Cardinalem, eundemque ab Innocentio III. in Picænum ad-

uersus

uerſus Marcuualdum Tyrannum ſumma cum poteſtate legatum: Alterum Gregorij xi. primùm ad Venetos, mox ad ſuperiores Pannonios Oratorem: Joannem item cognomēto Taurum Hugutionis Cardinalis fratrem, qui Conſiliorum Caroli III. Andegauenſis conſcius particepsq; & primarius adminiſter fuit. Is ipſe multorum ab eo Oppidorum vrbiumque dominio auctus, Aladiſlao Rege Caroli filio in Tuſcos ituro, Neapoli Prorex conſtituitur. Neque ea dignitas, poſtrema illi obtigit, nā paucis poſt annis Mediolanum accerſitus, Inſubriæ excelſa cum dignitate præficitur, donec Philippus Maria Vicecomes, cuius tùm pueri tutela ipſi delata fuerat, adoleſceret. Et verò noſtrorū propemodum ætate patrum inclaruit Caietanus Thienæus III. qui Cortiſnouæ in Pannonia Dominus, apud Ferdinandum I. & Maximilianum II. Auguſtos, Dux Alæ Equeſtris, & Pannonici Regni magnus Vexillifer, poſt militiæ egregiè nauatam operam, anno 1560. fato conceſſit; Neque armis ſolùm, ſed etiam litteris ea gens claritudinem famæ promeruit. Nam Caietani noſtri patruus magnus (vt alios taceam) qui Caietanus & ipſe vocatus eſt, quòd Caietæ apud

Ladiſlaum

Ladiſlaum Regem natus eſſet; ſolidâ eruditione adeò excelluit, vt publicum à Patauina ſcholâ habuerit teſtimonium, quod in ſepulchro eius hodieque in hæc verba legitur: *Caietano Vicetino ex clara Thienæa familia Canonico Patauino, Viro integerrimo, Theologorum ſui æui facilè Principi, Philoſophoquè eximio, cuius doctrina cuncta Orbis Gymnaſia illuſtrantur, locus hic datus eſt.* Mitto alios complures præclaros viros, qui Fredericò III. ac Maximiliano I. Cæſaribus, Franciæ Regibus, Reip. Venetæ, Ferrariæ Ducibus, aliiſque Dynaſtis operam ſuam militari gloria conſpicui, atque eximiis Præfecturarum inſigniti nominibus probauerunt. Mitto intimos Regum Conſiliarios, Cameræ, & Rotæ Romanæ (vt vocant) Auditores, eadem ſtirpe prognatos. Prætereo quòd Thienæi Cuniæ; Eſtenſi, Malateſtęæ, aliiſque eiuſmodi nobiliſſimis familiis per legitima innexi cōnubia, inter Italiæ Proceres locum, & lucem eximiam tenuerunt. Hæc volui recenſere, vt Caietanus dicere poſſe videatur, ſe non tam quòd hęc mundi decora habuerit, quàm quòd hæc pro Chriſto reliquerit, lætari. Venio ad Gaſparem Caietani noſtri parentem,

de quo ambigo, præstantior ne domi, an belli extiterit, adeò dum domi esset, prudentia ac pacis artibus; dum sub signis Cataphractorum turmã duceret, animo impiger, manu strenuus, industrius, fortis fuit. Ex eo Viro & ex Maria Portia pari nobilitate, ac virtute matrona Caietanus nascitur. Quo autem anno, nõ admodum clarè liquet. Sed si arbitrari licet, quandoquidẽ, vt postea dicemus, superioris sæculi XLVII. haud decrepitus senex obiit, arbitror (nisi me coniectura fallit) illum circiter annum à redempto Orbe MCCCCLXXXV. in hanc vitam editum. Porrò Caietani vocabulum illi Parentes indiderũt, vt senioris Caietani patrui sui magni, de quo diximus, & nomen & virtutẽ repræsentaret. Educatum verò fuisse liberaliter & ingenuè, nefas est ambigere, vtpote apud nobiles parentes & morum probitate ac ciuilitate conspicuos. Nihil tamen audiui aut legi de eius pueritia, adolescentiaque. Id solummodò tradunt Romam migrasse iuuenem, & firmo iam ingenio atque ætate. Ibi Summo Pont. Julio II. honesto gradu inseruiisse; postea verò inter Sodales Diuini Amoris adscitum piis operibus vacasse diligenter. Huius Sodalitii, quòd celebre

cum-

cumprimis atque illuſtre per id tempus in Vrbe exciterit, quodque ex eo tanquam è Schola virtutum prodierint IIII. Viri noſtri Ordinis Conditores, hi videlicet quorum nunc vitas ſcribimus, operæ equidem pretium facturum me arbitror, ſi hoc loco originem atque inſtitutum, quãtum ad rem ſatis erit, exponam. Exortis auctore Luthero monſtro illo flagitiorum atque ſcelerum immaniſſimo, fœdis hiſce Hæreſibus, quæ Aquilonares pleraſque Prouincias noſtrorum æuo Patrum miſerrimè infecerunt, in media etiam Italia, atque in ipſa Vrbe Roma, (vt malum ex malo ſeritur) praui in dies pullulabant mores, quibus non ſolum populi, ſed Clerici etiam atque Religioſi homines paſſim contaminabantur: atque adeo ij qui imperitæ & infirmæ plebi ad virtutem præire debuiſſent, ſuo eam exemplo inflectebant ad vitia. Nonnulli igitur, qui Romæ erant ſolida probitate Viri, vt tantis malis aliqua ratione pro ſua virili parte poſſent occurrere, & labantem Eccleſiaſticum Ordinem ad priſtinã puritatẽ, dignitatemq; reuocare, Leone x. Pont. Max. Sodalitium inſigne fundauerunt

in ipſa Vrbe Roma, eique à Diuino amore, nobile cognomentũ impoſuerũt. Primi & pręcipui Sodales Gaſpar Contarenus, Jacobus Sadoletus, Matthæus Gibertus, Joannes Petrus, Carafa, Caietanus Thienæus, Aloyſius Lippomanus, Latinus Juuenalis, Tullius Criſpoldus, & Julianus Dathius memorantur. Acceſsêre poſtmodũ, vt fit complures alii, ad quinquaginta ſcilicet Aulæ Romanæ Proceres. Tanta eſt in vtramque partem vis exemplorum. Locus, quo ad conciones ſacrasque preces conueniebant, erat Ædicula S S. Silueſtri & Dorotheæ in regione Tranſtyberina, propè illam meritoriam Tabernam, quam veteres Chriſtiani, Alexandro Imperatore pro ipſis aduerſus Ethnicos reſcribente, in Templum vero Numini dedicatum, Callixto I. Summo Pont. mutauerunt: non longè item à Janiculo colle, vbi Apoſtolorum Princeps Petrus cruci fuerat affixus. Itaque libenter eò ſecedere Patres, & quâ Numini laudibus celebrando, quâ hominibus ſalutari doctrina imbuendis ſeſe certatim exercere: vbi & Apoſtolum Petrum (quippè Judæum, degere cum Judæis ſolitum, & primitiuos illos Chriſtianos hæc eadẽ pietatis officia obiiſſe,
ſcie-

ſciebant. Accedebat (commodùm) quòd ea Ædicula cum attiguis domibus, in cura eſſet iã dicti Juliani Dathi, qui tunc eius Sacerdotij & Paræciæ Rector, atque apud Lateranenſem Baſilicam presbyteris Pœnitentiariis Præfectus, magna Vir auctoritate, & prudentia probitateque conſpicuus in Vrbe erat. Quocirca cum eius hortatu optimi ij Præſules ſtatis diebus illò concederent, reuiuiſcere paulatim cœpit priſtinus penè intermortuus Chriſtianorum calor: ab eoque poſtmodum Sodalitio, circumquaque increbreſcente fama eandem rituum morumque formam ſumpsêre, alia quæ pleriſque Italiæ Vrbibus à Romano iſto deriuata, eidemque ſubdita paſſim cõflabantur. In quorum numero Hieronymianum, quod Vicentiæ conſtitutum eſt, cum virorum, qui in illud adlecti præſtantia, tum officiorum, quibus ij aſſiduè vacabant vtilitate, dignum profectò fuit, in quod & Caietanus noſter, Vicentinorum facilè piiſſimus adſciſceretur. Igitur reuerſus Roma in eam ciuitatem, horum quoque Hieronymianorum Sodalium numero adſcribi petiit & impetrauit. Inſeram huc ipſiſſima verba è Diario Vicentinę Sodalitatis excerpta, vt quàm

alta ac ſolida ad virtutum ædificium fundamenta Caietanus præiecisset, Lector agnoſcat.

Exceptus in ſocietatem Caietanus eſt perhumaniter, anno Sal. M. D. XIX. Is verò efficaci verbo, ſedulo obſequio, beneficentia in pauperes, & inſigni vitæ probitate præire cæteris, & Sodalitati bonæ famæ odorem in dies parere. Multa ab eo Viro egregiè patrata memorantur. Referre libet nonnulla. Primùm ſodales induxit, vt qui antea quater tantùm in anno Euchariſtiam ſumebant, deinde duodecies minimùm, id facerent. Suo illo ſuaui alloquio cœpit paulatim corda Sodalium commouere, atque igne Charitatis accendere, idque præcipuè inter communicandum. Sua enim ipſe manu panem cœleſtem dum Socijs porrigeret, identidem alloquebatur, afficiebatque adeò, vt de frequenti Sacramentorum vſu inſtaurando conſilium cœperint; multique eorum quolibet hebdomada, multi feſtis etiam diebus, qui intra hebdomadam inciderent, ac ſextis inſuper quibuſque ferijs ſanctis Chriſti epulis alerentur. Statuit deinde Caietanus Societatem locupletare Romani Pontificis Priuilegijs, & piacularibus Diplomatibus, quibus per DEI

gratiam

gratiam nunc fruimur. Ea ipse sua industria ac solertia non difficilè obtinuit, vtpote in Romana aula diu versatus, & rerum gerendarum apprimè gnarus. Præcipuè verò postquàm nos insanabilium ægrotorum curam suscepimus, eius opera impetratum ab Vrbe est, vt S. Jacobi Augustano, vti vocant, Nosocomio, quod aliorum per Italiam princeps est, Vicentinum istud vniretur, ab eoque veluti à capite dependeret. In hunc itaque modum firmata iam Sodalitate atque Nosocomio cœpit is aggregare huc inopes, mendicosque complures, quibus quotidie suis ipse manibus ferebat opem, eosque ignitis planè verbis inducebat ad tolerantiam ærumnarum. Postremò is qui Sodalitatem iam constituerat, legibusq; muniuerat, ipse idem se sponte sua subdidit Baptista Cremensis è Dominicano Ordine Religiosi viri nutui atque imperio. Hic diuino, reor, instinctu in animum induxit suum, Caietano præcipere, vt relicto lare familiari, propinquis agnatisq; omnibus, deserto itē Nosocomio, quod nuperrimè fundauerat, abiectaq; cura nostri Sodalitij, quod tum rerum gestarum claritudine celebre esse incipiebat, Venetias concederet. Reputabat quidē secum Caietanus tot Sodales eosq; fere omnes pauperie pressos, & vix

suarum

ſuarum manuum labore, vel collectitia ad Templi fores ſtipe vitam tolerantes, ſi ipſe diſcederet, ſe peſſimè habituros: verumtamen fide nixus eximiâ, & obedientiæ atque obſequelæ virtutem cæteris omnibus anteponens, cum omni ſua ſupellectili & domeſtico inſtrumento Venetias commigrauit, ibiq́; Xenodochiū, quod Nouum appellant, egregiè ſanè, qua erat prudentia reformauit, vigetq́; eius inſtitutio ad hanc vſque diem. In eam et Vrbe excitauit animos virorum feminarumq́; nobilium, atque plurimorum è plebe. denique igniculi ab eo iacti ardent in dies magis magiſque. Ea, opinor, opera piiſſimè inſtituta cauſſæ extiterunt placandi irati Venetæ vrbi Numinis.

Hæc in eo Commentario de Caietano leguntur. & verò poſtrema iſta verba attentius conſideranda ſunt; innuunt enim calamitoſa illa tempora, quibus tota penè Europa exitiali bello miſerè afflicta fuit, tunc ſcilicet, cum capta Rhodo, & Ieroſolymitanis militibus aut occiſis, aut inde fugatis, in Cretam, Cyprum aliaſque vicinas Venetorū prouincias Turcicus furor inhiare videbatur: cumque Italia Gallis, Hiſpanis, Germaniſque inuadentibus diu quaſſata direptaque, Venetorum nihilominus ditioni, fortuniſque vſque eò

fauit

sauit Deus, vt & Turca è Rhodo in Pãnonios arma conuerterit, & aliis Italiæ Regulis extremo discrimine implicitis, Veneti soli inter tot diras Europæ clades non tantum incolumes tutique steterint, verùm etiam Oppida atque Vrbes quas pridem amiserant, felicissimè recuperarint. Quos tam prosperos euentus tametsi alij aut Columnę, aut Liuiani Ducum fortitudini industriæque attribuant, sanctiùs tamen atque veriùs iam dicti Diarij Scriptor, piis operibus, atque assiduis precibus, quæ, Caietano auctore, per ea tempora Venetiis institutę Deum placauerunt, adscribit. Adeò verum certumque est non facilè à barbaris hostibus posse eos lædi, qui intra suos fines habeant insignes aliquot Diuini cultores Numinis amicosque, quorum rogatu atq; innocentia reliquis vel noxiis Rex ille cœlestis parcat. alioquin Deo sceleribus violato atque infenso, valida vis copiarum, commeatuumque & humanę potentiæ aut prudentiæ fulcra, quid tandem sunt nisi vani fastus nutriculæ, & certæ pignora calamitatis? Sed Caietanus fundatis iam, aut firmatis Romæ, Vicentiæ, Veronæ, Venetiisq; Sodalitatibus sacris, ac Xenodochiis, Romam rediit superioris seculi

anno circiter xxi. versans animo qua potissimum ratione illud reipsa prętaret, quod diu antea concæperat, & sodali suo Dominico Xaniuellio probatæ pietatis viro fidentèr Vicentię dixerat in hęc verba. *Non desistam erogare in egenos quicquid habeo, donec pro Christo adeò pauper euadam, vt nec sepulturam mortuus nisi precario obtineam.* Et vero suo eiusmodi voto, abundè ille potitus est: nam Romam, vti diximus, reuersus postquàm aliquandiu pijs sese operibus, vnà cum Diuini Amoris sodalibus exercuit, amplissimo in pauperes, propinquosque tenuiores distributo patrimonio, atq; opulentis Sacerdotijs, non, vt pleriq; faciũt, in suorum commodũ, sed in Summi Pontificis manus liberè dimissis, Clericorum Regularium factus parens & auctor, ad extremam, vti cupiebat, se redegit inopiam. Quod quemadmodũ gestum sit, locus iste postulat, vt exponam. Caietanus, exerto quippe vir ingenio, & ad Dei gloriã procurandam exaugendamque semper intentus, sensim animaduertit illam morum atque animorum corruptelam, quæ Christianos populos longè lateque peruaserat, maius omnino esse malum, quàm vt vnius Secularium Clericorum Sodalitij,

nec

nec perpetuò duraturi ope aut industria posset sanari; & venenum quod tam altè radices fixerat, excutiendum non nisi perpetuo & præpotenti pharmaco videbatur. Accedebat, quod ij sexaginta Viri, qui ad B. Dorotheæ societatem inierãt, neque Romæ degere, neque dum Romæ essent, assiduè salutaribus iis officiis, vtpotè suis quisque priuatis rebus impliciti, incumbere poterant. Ipse itaque Diuino, vti par est credere, motus instinctu, in eam venit cogitationem, si primæuum illud atque Apostolicum institutum sua ætate instauraretur, Sacrorumque ac solẽnium Votorum nuncupatione perpetuò firmaretur, non ineptam eam fore reparandæ Christianæ Reipublicæ rationem. Clericos quidem Sacrorum ministros egregiam olim laboranti Ecclesiæ tulisse opem: sed vt sunt res mortalium pronæ casibus, iam eos mole sua atque senio defetiscere. Excitari igitur oportere mortalium animos nouo atque Apostolico spiritu, & Clericis, quos ingenti populorũ exitio improbitas inscitiaq; corrupisset, Clericos alios atque alios debere suffici, quorum opera, damnum quod illi per prauum exemplum Christiano Orbi intulissent, sarciretur. Sciebat

non ſecus olim eueniſſe, cum aliâs ſæpè, tum verò potiſſimùm, quando Auguſtinus, Paſtor ille eximius, Clericorum Ordine ad Apoſtolicam formam reſtituto, Africam Europamque penè vniuerſam hæreſibus perpurgauit, & Eccleſiæ Catholicæ egregium ornamentum addidit. Ad hũc ferè modum Caietanus ratiocinabatur. Neque eius profectò votum eluſit euentus. quippè noſtra primùm Sodalitas, Italiam, intra quam hactenus conſiſtere libuit, verbo atque exemplo excoluit, deinde verò poſt ſexdecim annos, ea quæ à Jeſu fauſtè appellata eſt, & aliæ atque aliæ toto penè Orbe diffuſæ, breui, cogitata in opus, ſpem in rem, propitio Numine deduxerunt. Caietanus igitur ea quæ ſecum aliquantiſper, molitore Deo, agitauerat, cum Bonifacio à Colle Viro integerrimo amicè communicat. Probat ille, & Sancto correptus Spiritu ſe tam præclaro facinori ſociũ offert. Hanc rem non multò pòſt olfecit Joannes Petrus Carafa, Epiſcopus Theatinus, is videlicet, cuius iam geſta retulimus: & qui diu cupiuerat è mundi fluctibus in portum aliquem emergere, vbi primùm percœpit inſtituendi Ordinis rationẽ atque ſcopum, exarſit illicò vehementi deſiderio

incundi

ineundi Instituti, quod Monasticæ simul & Clericalis vitæ munera laudesque coniungeret. Itaq; vt nunquam ferè non erat ad virtutum ardua capessenda optimè animatus, Caietanum liberè conuenit, & maiorem in modum ab eo petiit, vt se eiusdem voti compotem faceret. *Esse sibi si non meritum, certè studium par atque ceteris, & similem propemodum Sacri Sodalitij imaginem se concepisse animo, quam non fuerit ausus cuiquã patefacere. proinde sibi & amico, & Episcopo, & auidè cupienti non esse saltem postremum in eo optimo facinore locum denegandum.* Ille admiratus viri animos & nulli præclaro operi angusta pectora, gratias primùm agere, quòd tantus Antistes pauperum Clericorum vitam adeò cupidè vellet amplecti: deinde verò (vt Carafæ impetum ardoremque reprimeret) excusare se multis modis, atque difficultates, quæ multæ & grauissimæ certè inerant, opponere; *scilicet per sacros Canones, quos Carafa ipse probè nosset, non licere Episcopo, deserto suo & Christi grege, ad Claustra secedere. Videret tempora fortium exemplorum valde indiga. proinde ne se intra muros absconderet, qui oppositus esset à Deo murus pro Domo Israel aduersus huius temporis Philisthæos. Pergeret*
 potius

potius cum alijs Episcopis ductare Christianas acies, se verò aliosq́; priuatos homines sineret sub signis cōtineri inter gregarios milites. His aliisq; eiusmodi dū Carafam Caietanus dehortari nititur, ille, vt erat ingenio præferuidus, & recti consilij quod semel apprehendisset, tenacissimus, nihilum his dimoueri difficultatibus, imò magis magisque inardescere. Denique multis verbis vltrò citroque habitis, Carafæ ardor eo processit, vt fixis repente humi genibus, vultu subirato ac propemodum minaci protestatus fuerit Caietano, se in die Judicij de sua anima ab eo rationem coram Christo Judice reposciturum, nisi protinus se è seculi turbis ad quietam Religiosæ vitæ stationem admitteret. Tum Caietanus obstupescens Viri constantiam, facundiam, grauitatem, procubuit & ipse in genua, eumque complexus amantissimè, *Ego te*, inquit, *mi Domine nunquam deseram.* Iunctis itaque animis viribusque sedulò vestigant, quanam ratione, maturè cum Deo id quod proposuerant, perficerent: mutuisque cohortationibus sese inuicem accendunt. Antequam autem ad rem aggrederentur, Quartum adsciscunt Socium, Paulum videlicet Consilia-

ſiliarium, fidum Carafæ amicum, & antiqua ſtirpe ac probitate conſpicuum. His quatuor veluti baſibus ædificium omne noſtri Ordinis ſuperſtructum eſt. atque adeò has quatuor Roſas inter medias humanorum pectorum hiemes, B. Dorothea, vt Cæſareæ quondam, tunc Romæ iterum protulit. Cæteri, qui ad triginta octo fuiſſe referuntur, & ſi ad primum noui inſtituti nuncium incaluerāt, & ſe quiſq; Sociū ineundo Clericorum Ordini promptè obtulerant, difficultate tamen rei, & arctiſſimæ Paupertatis voto quod ij quatuor conceperant perterrefacti, refrixerūt. Igitur anno redempti Orbis M.D.XXIV. feſto die Jnuentæ Crucis à quatuor iam dictis Viris res cœpta eſt apud Clementem VII. Pont. M. ſedulò agitari. Magnis primùm difficultatibus impediebatur, pleriſque Romanæ Aulæ Proceribus nouum id fore pronunciantibus, *Clericos à Monachis, habitu, nuncupatione, nonnullo etiam inſtituto diſtinctos, ad inſtar nihilominus Monachorū, ſeptis Clauſtri rigidè contineri, & ſolennibus Chriſto nuncupatis votis obligatam vitam ducere. Præterea, non videri, poſſe eos ſeſe tolerare, niſi aut ſtipem emendicatò quærerent, quod fermè inuſitatum Clericis,*

aut

aut certos censusprouentusque sibi compararẽt; quod nullo modo sibi Patres persuaderi patiebantur. Apostolicam verò illam rationem viuendi ex vltroneis oblationibus, haud prosperè his temporibus successuram, in queis virtutum cultus & charitas potissimũ in egenos, adeo refrixisse cernitur, vnoquoque propemodum quæ sua sunt quærente, non quæ Iesu Christi: Neque etiam facile impetratu fuit à Summo Põtifice, ut Carafæ liceret, relicto Episcopali munere, ad priuatam vitã emigrare. Nouerat enim Pontifex quantum præsidii in eo Viro reperire posset Respub. Christiana, iis maximè temporibus, quibus præstantes virtute, consilio, pietate homines operæ pretium esset ad gubernacula adhibere, non autem in Claustra aut in solitudines ablegare. His itaque res implicata nodis vix vnquam fuisset expedita, nisi Caietanus in primis, & socij etiam alij strenuè respondissent, *Nihil, se, nihil posteros, modo Christo fiderent, Deique Regnum sedulo quærerent, de victu cultuque corporis vnquam fore sollicitos. Illud vnum agerent: cætera Christo sponsore adijcienda neutiquam se ambigere. Apostolos, primosque Euangelij Sectatores longè infestius pietati, ac Charitati seculum incurrisse, neminem*

neminem tamen eorum aut fame aut algore consumptum, nisi siquando persecutorum rabies ijsce modis diuites simul & inopes cruciauit. Census prouentusq́ perpetuos quòd pleriqúe alij Ordines retineant, se quidem nequaquam improbare; at inficiari non posse, b illud esse perfectius institutum, quod Euangelicā paupertatem impensius seruat. Diuitias sæpe esse seminarium litium, & perniciem libertatis. Itaque rogare se Purpuratos Patres Sanctißimumqúe Pontificem, vt faueret instaurationi Clericalis Instituti, quod Apostoli dedicassent, viriq́ Apostolici longa serie suo exemplo firmassent. De Theatino Episcopo, sperare se non minus illum Reipub. Christianæ fore vtilem Clericorum Ordinis parentem, quàm Theatinæ Ecclesiæ Præsul extitisset. Neque illum tuendæ Christianæ causæ sese reddere ineptum, quòd Religiosum iniret institutum: sed ipsummet qui antea in acie dimicauerat Primipilus, postmodum veluti de sacra quadam Turri, memorando posteris exemplo, vnâ cum socijs, propugnaturum.

b Lege S. Tho. Opusc. 17.

His aliisque rationibus ea quę obiecta fuerant diluebāt Patres: quibus magnum profectò robur addidit Matthæus Gibertus, celeberrimus ille Veronæ Episcopus, qui quòd apud Clementem

gratia, apud Cardinales plurimùm auctoritate valebat, Nostros magnoperè iuuit. Et quidem eò diligentius incubuit Gibertus expediendæ rei, quod percuperet se ijs aggregare, adeoque ea ratione ex Aulæ se subducere strepitu, atque turbinibus. Verùm sui is laboris fructu votoque potiri non potuit. Abnuerunt enim Patres tantum Præsulem sibi socium adiungere, quocum Pontificiæ rectionis curas Clementem partiri probè nossent: atque adeò nunquam illum permissurũ, vt se destituto rebusque publicis, ad alia se conferret vel optima studia. Ex Episcoporum numero satis sibi fore Carafam, cuius auctoritate, consilio, ope iuuarētur. Itaque cum Inuentæ Crucis festo die res agitari cœpta esset, in Crucis itidem exaltatæ solenni luce faustè confecta est; vt proinde non immeritò Crucis insigne nobis assumpsisse videamur. Erit autem fortassis pretium operæ, si quo modo Quatuor ij Viri ad *B.* Petri in Vaticano colle Deo sese votis obstrinxerint, breuiter hoc loco narrauero. Clemens VII. cuius iam sæpè meminimus è Medicea Stirpe Pont. Max. vt renascentem Clericorum Regularium Ordinem Apostolica protectione foueret, & sibi, hoc est,

Chri-

Christi Vicario proximè subijceret, iussit Joanni Baptistæ Bonzianio Casertæ Episcopo, & Apostolico Datario, vt Pontificio nomine iam dictorum quatuor virorum solennia Vota exciperet, atque Apostolica auctoritate roboraret. Accesserunt itaque eo festo die Nostri Patres, vnâ cum Bonzianio ad Ædem augustissimam Vaticanam, vniuerso Clero, et maxima omnium Ordinum multitudine prosequente; & celebrato à Casertano Episcopo ad Altare Sancti Andreæ solenni sacrificio, ac cœlesti pane professuris Patribus ritè porrecto, Aram Sancti Petri, quæ eius Templi est primaria ac sacratissima bini adeunt: ibiq; Clemētis VII. Diplomate per Notarium clara voce recitato, primus Joannes Petrus, tum Caietanus, deinde alii duo solennia Religionis vota Summo Numini deuotissimè nuncuparunt: quorum formulas singulis autographis descriptas, Bonzianius Sūmi Pontificis nomine recepit, probauitq;. Post hæc, quoniā iam dicto Diplomate concedebatur Nostris, vt Præpositū sibi quem vellent eligerent, idcircò, secedētes ij Quatuor Viri parumper ab adstantium coetu, cum

de ea re inter ſe aliquantiſper deliberaſſent, in Joannem Petrum cunctorum ſuffragia conuenerunt. Ipſum igitur iam deſignatum electumq; primum Clericorum Regularium Præpoſitum, Caſertanus Epiſcopus, qua pollebat poteſtate roborauit atque firmauit. His rebus ingenti ipſorũ religione & adſtantium plauſu lætitiaque peractis, abeunt Patres in pauperem domunculam, quam Bonifacius Via Leonina ad Campũ Martium poſſederat. Eam inhabitarunt Noſtri fermè biennium in ſumma omnium egeſtate, illud ſcilicet Apoſtolicum inſtitutum religiosè ſeruãtes, vt nullos cenſus poſſiderent, nihil à quoquam peterent, ſi quid vltrò deferretur id ſolum cum gratiarum actione reciperent. Placuit Patribus, & Caietano in primis paupertatis amantiſſimo eo modo vitam inſtituere, ac facto potius exemploque quam lege aut præcepto præire poſteris, maximè cum probè ſcirent, Chriſtum Dominum eiuſque Apoſtolos, hoc eſt primæuę Eccleſiæ Clericos, eadem & ipſos ratione vixiſſe. Tuti igitur tanto exemplo Patres, vitam eiuſmodi nulla adacti præceptione, ſed pro libitu ineunt, eò magis admirandam, quò rarior per id tempus virtus vel in

in Clericis visebatur. Porrò, vt ipsa virtutis initia nunquam propemodum aduersario carent, detrahere Nostris multi, & inuidiosissimè obtrectare, veluti nouo hominum generi, & è Clericis Monachisque permixto. alij tamen quibus probitas, & religio grata atque amata, quòd probè ipsi & cum virtute viuerent, suspicere eos, & magnis laudibus exornare. Denique, vt de priscis illis Sacerdotibus vel ab Ethnico *c* scriptum est, *tenuitas edendi potandiquè parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia, perpetuo Numini, verisq. eius cultoribus, vt puros eos commendabant & verecundos.* Inde vsus manauit in vulgum quemque castigatius seueriusq; viuentem non aliter appellandi, quàm *Theatinum.* Et sanè quanquam à Nostris ea agnominatio nunquam aut raro vsurpata est, placet nihilominus vocabuli vel à vulgo impositi decora significatio, quæ à spectando siuè contemplando vtcunque deducitur. *d* Tametsi, vt verum fatear, non adeò contemplationi rerum cœlestium vel tunc dediti Nostri, vt actuosæ vitæ opera, præcipuè ea quæ dicuntur spiritalia negligerent. Rari quidē egressus, sed siquādo aut habenda cōcio, aut

c Marcellin. lib. 27.

d Fauet huic etymo S. Gregori' Nissenus lib. Quod non sint tres Dii.

ægrotus quiſpiam inuiſendus cohortandusque ad patientiam ceteraſue virtutes foret, vidiſſes Noſtros promptè excurrere, vt igniculos Diuini amoris in proximos ſpargerent, æmuli ſcilicet Angelorum, quibus mos eſt ita ſe ad homines profundere, vt Deum interim amare non deſiſtāt. Poſteà verò, anno ſcilicet eius ſeculi xxvi. è iam dicta Domo Martiana, ad aliam ſub monte Pincio ſitam, & Monaſterio B. Mariæ à Populo attiguā migrarunt Patres. Iſtam, vt Onuphrius ait *e* neque amœnitate commodam incoluerunt vſque ad anni xxvii. Junium menſem, quando ſcilicet, vti mox dicemus, clade Borbonica dirius diuexati, Vrbe excedere coacti ſunt. Interim ab rerum humanarum cura ſemoti, ad ſpiritualem cœleſtēque vitam ſeſe alioſq; quos poterant inſtituerunt. Et licet procul à cōſpectu hominū, nēpe ad Vrbis mœnia ſeceſſiſſent, ęgrotis nihilominus in Noſocomio, vti pridē cœperant, aſſiduè inſeruire; iis aliiſq; labes ſuis fatentibus aurē prębere; agentibus animam ad vltimum vſque ſpiritum adſidere; Lāguentes egenoſque, verbo, re, quâ poterant ſubleuare; Sacramentorum vſum, qui inſolens ea ætate erat, modis omnibus inſtaurare ſtudebant. Porrò

e In Vita Pauli IV.

vt

vt eiuſmodi ſalutaria officia præſtare poſſent cõmodè, auxit illorum numerum DEVS: quippè nõnulli alij & eorũ exemplo, & Numinis inſtinctu agitati, ijs aggregati ſunt. In his, *B*ernardinus Schottus Sabinus, Hieronymus Conſiliarius, & Andreas Verſus Romani, Jacobus Yuannius Hiſpanus, Thomas Guerrerius Siculus, Marcus Paſqualinus Venetus, Mattheus *S*eraualleñſis, & Petrus Laicus Peruſius, duodecimum numerũ cõpleuerunt. quorum octo poſtremorũ Indices Diariaq; noſtra vix nomina nuda ſignificãt, ſeuero nimirum veterum more, vt plurimùm facerent, minimum de ſe loquerentur aut ſcriberẽt. *S*ed ea certè ſeueritate ſilentij malè poſteris conſultum eſt, orbatis videlicet domeſtica exemplorum luce, & efficaci incitamento virtutum. *S*cimus quidẽ vniuersè Joannẽ Petrum Carafam, tùnc iuuenẽ & Apoſtolicum Protonotarium vnâ cum Hectore Vernacia *B*. *B*aptiſtæ Genuẽſis genitore fundaſſe Romæ Noſocomium Inſanabiliũ, atq; inſeruiſſe Patres noſtros, & Caietanum maximè, frequẽter ægrotis: quidnam verò egregij in eo præſtiterint, aut quandiu rebus ijs ſtuduerint, id verò clam nobis eſt. Accepimus item eos non rarò habuiſſe

ſer-

ſermonem ad populũ, Carafam præcipuè & Thienæum, quibus promptior inerat dicendi facultas, atque cùm inſtante Barbonica irruptione, tũ capta iam Vrbe, cunctos ad conſtantiam toleran-tiamque fuiſſe cohortatos. Hæc tamen aliaque e-iuſmodi de plurimis quæ ij fecerint, perpauca, nõ tam è Noſtrorum, quam ex alienorũ potius ſcriptis, aut traditione, fortuitò atque ieiunè notata deſumpſimus. Seceſſerant igitur Patres, vt iam diximus ad Pincianam Domum, ibique ſacram Ædiculam pro opibus inſtruxerant. Puto, niſi me coniectura fallit, extitiſſe propè veterem illam S. Felicis Ædem in eo colle ſitam, vbi S. Gregorius Magnus tertiamdecimam Homiliam ad populũ habuiſſe legitur. Ibi itaque Noſtri modum cum ad alios inſtituendos iuuandosque prodeundi, tum, vt ſemetipſos ſpiritalibus documẽtis imbuerent, domum ſecedendi, faciliùs liberiusque ſeruabant. Dum autem his ſtudiis in ſumma trãquillitate incumbunt (vt eſt omnis vita mortalium ad miſerias ærumnasque procliuis!) ecce Reginam Vrbium & ſacratiſſimam Petri Sedem Cæſareus exercitus, Ductore Borbonio, nefariè capit atq; diripit. Erant in ijs copiis pleræque acies Germa-norum,

norum, qui natiuam ferociam hæretica immanitate cumulauerant. Reliquæ ex Hiſpanis Italiſq; conflatę, Eccleſiaſtico auro, (quod Tholoſanum iis certè extitit) iamdudum ſceleratiſſimè inhiabant. Igitur in Vrbem pari furore irrumpentes, impietatis & libidinis execrandam rabiem exaturare cœperunt. Emerſiſſe ab inferis Arrianorum atrocitas videbatur, eius temporis ſcilicet cũ (vt Lirinenſis ait) f *temeratæ coniuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, Monaſteria demolita, diſturbati Clerici, verberati Leuitæ, oppleta Sanctis ergaſtula atq; carceres.* Eadem enim in ſancta Vrbe ſcelera ſtrages atque funera paſſim edebantur. & quod extremum impietatis eſt, neque ipſi (prô nefas!) Sacerdotum Principi, & Vicario Chriſti pepercerunt. In tanta autem rerum acerbitate, Noſtri, qui iam ad duodecim creuerant, poſteaquàm veluti ad publicum reſtinguendum incendium cum propriæ etiam vitæ periculo accurrẽtes, ſe parum proficere perſpexerunt, in Pincianã Domunculam ſe ea fini includũt, vt aſſiduis precibus lacrymiſq; vel Romæ irata placarent Numina, vel ſibi ſaltẽ ipſis Lutherianum gladiũ propediem expectãtibus martyrij Laureã obtinerẽt.

f Cap. 6.

Interea verò vitã martyrio ꝓpiorẽ degere; nam improuisa clade intercœpti, nulloq; cõmeatu instructi, ægerrimè vitam ducebant: pressis videlicet infanda calamitate, aut fugatis Vrbe amicis beneficisq; omnibus. traduntq; contigisse non semel, vt vnicum cibariũ panem inter duodecim Sodales partiri oportuerit. Sæpè quidem in eam domum irruptum est à *B*arbaris: sed vnica Patres armati pauperie, semper hostes prædonesq; impauidè repulerunt. *B*is tantum in eos ii q. auaritiã non poterant, sæuitiam exercuêre; semel Hispani; Germani iterum. De Hispanis posteà dicemus. Inter Germanos autẽ erat miles quidam, quem Caietanus, cum diues esset, hoc est, antequam pro Christo se mundo atq; opibus abdicasset, inter gregarios famulos diu habuerat. Is verò, vt è domo Thienæa, atque Vrbe Vicentia discessit, militiæ se dedens, ad suos Germanos Lutheriana hæresi infectos reuersus est: indeque Georgium Franispergium, impiissimum illud hominis monstrum sectatus, in Italiam atque adeò Romam venit. Dum Romę igitur esset, quam tum Vrbem, cæde, direptione, vastitate *B*orbonicus exercitus magis magisque perditum ibat, olfecit nefarius miles Caietanum.

Thie-

Thienæum, herum quondam ſuum locupletem ad montem Pincium deliteſcere; ratusq; habere eum ſecum nummos atque opes ſuas priſtinas, ſpe prædæ illectus, eò vnâ cum aliquot impiis graſſatoribus cõuolauit. Nõ fuit opus perfringere ianuã aut domum diruere, indeq; protrahere abditos. patuit illicò humilis ea caſa prædonibus, & Noſtri vltrò proceſsêre, nõ diuite ornati infula, ſed habitu vti decebat pauperiẽ ex voto profeſſos. Obſtupuerunt Barbari Saxones primo adſpectu: mox latibula opum ſuſpicati, extorquere aurum vi tormẽtorum parant. Caietanum igitur, cuius imaginarias opes iã animo deuorauerãt, ſemotis, reuinctisq; Sodalibus ceteris, adoriuntur; ex eoque primùm quærunt, quò retruſerit ſuas opes. Inſtabat reliquis moleſtior is qui Caietano olim fuerat famulatus, & morę impatiẽs, iniecta in mitiſſimum ſenem impia manu, niſi reuelet aurum, ſæua ſupplicia comminatur. Is leniſſimis verbis extemplò quod verum erat prodidit; *fuiſſe quondam ſe, vt vulgò dicunt, diuitem: ſed quartum iam annum agi, quòd mutato vitæ inſtituto, abiectisque fortunis omnibus, religioſam inopiam pro CHRISTO amplecti maluerit, quã incerto diuitiarum ſtultè niti.*

Ad hæc illi frementes, furentesq;, & prædam sibi præreptam indignantes, diris & infandis illigatũ modis Caietanum insontem variè torquent; cõpressis scilicet artubus inter arcarum labra, totoq; corpore funibus in altum sublato. Truci eiusmodi supplicio quid præterea carnificinæ adiecerint, nusquam ego legi; sed animo comprehendere, ex parte saltem, vnusquisque poterit. Legi autem (quod porrò ad Caietani nostri laudem facit egregiè) B. Augustinum in hanc rem grauissimè

g lib. 1. de Ciu. Dei, Cap. 10. docentem: (iuuat ipsa eius g verba hic ponere) *Eos qui olim in irruptione Gothica, sub Alarico Rege, etiam non habentes quod proderent, dum habere credebantur torti sunt, profectò inter illa tormenta paupertatem sanctam confitentes, Christum fuisse confessos. Quapropter & si non meruerunt ab hostibus cædi, non potuisse tamen sanctæ paupertatis confessores sine cœlesti mercede torqueri.* In quem Augustini locum insignis ille Theologus Franciscus

h Schol. ad lib. de Ciu. Dei, Veris II. Mayronius scribens, h mirificè laudat eos, qui pro Christo pauperes facti, sanctam paupertatẽ liberè fassi, strenuè pro ea tormenta sustinuerint, asseritque martyres dici posse, si pauperiem profitendo, mortem subierint. Et meritò quidem has excru-

ciata Paupertas laudes habet: ſimili quippe nomine Titum Diaconũ, Elphegum Epiſcopũ, Devsdedit, & Suranum Abbates in Sanctorum Faſtis celebratos lego. Huic verò rei firmandæ poſſem & alia adducere, niſi meminiſſem non Diſputationes me nunc texere, ſed breuẽ Hiſtoriam. Interim autẽ arbitror, nequaquã ambigi poſſe, iſta ad Caietanum noſtrum vtcunq; pertinere, qui nõ vt innumera hominum mendicabula, extrema adactus neceſſitate, ſed promptiſſima voluntate inops fuit: ac proinde ſanctam paupertatẽ inter ſæua etiam tormenta profeſſus eſt. ideò enim illũ impij prædones rabie adacti excruciarunt, quòd ſua bona pro Chriſto prodegiſſet, ſanctamq; inopiam liberè atque hilarè fateretur. In iis Vir ille tormentis certè non obijt, nihilominus tamen in eum iam dicta verba Auguſtini probè quadrare exiſtimo, *Non potuiſſe ſanctæ Paupertatis Confeſſorem ſine cœleſti mercede torqueri.* His itaq; Caietanus noſter perfunctus ærumnis ſuppliciiſque teterrimis, *gratias egit*, vt S. Marcella quondã egiſſe legitur, i *quòd pauperem ſe non feciſſet captiuitas, ſed inueniſſet, quod & voce & opere loqueretur, Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & redeam.* Sed nõ

i Apud Hier. Ep. 24. ad Principip.

hic fuit ærumnarũ finis. quippè post aliquot dies, etiam ab Hispanis illuc vsq; irrumpẽtibus, Patres nostri capti, vexati, ludibrio habiti, vincti, abreptiq; in diuersos fuere carceres. Insignis autem extitit oris vultusq; habitus, atq; ad martyrium apparatio, qua Viri illi prædones teterrimos excepêre. Ad sacram Ædiculam omnes vnâ descendunt, eamq; pro tẽporis opumq; angustia diligenter exornant: lampades omnes accendunt tanquam festiuissimum diem celebraturi; ante Aram maximam ad orandum præsens Numen figunt humi genua, & vultu ad pietatẽ composito, atq; inflexa ceruice (vt victimas crederes) prædonum impetũ præstolantur. Mirum dictu! Vidisses eos inter pericula extremi exitij, clamoresque ac gemitus, qui ex immani cæde vndiq; personabant, corpore immotos, animo impauidos vnã spirãtes sperantesq; cœlorũ beatã sedem, humana hæc interim, bona, mala; quasi origini suæ, id est, Deo proximos, despicientes. Porrò spectaculũ istud adeò præclarũ, si non amorem aut reuerentiã, certè admirationẽ aliquã à nefariis illis militibus elicuit. quippe vbi irrupêre in Ædiculã, nemo ipsorũ ausus est sacras eas victimas, tametsi neci vltrò expositas, neci dare,

re. Sed posteaquàm aliquantisper attoniti substiterunt, ab vno ex eis præciso fune quo lãpades dependebant, lychni pensiles in subiectorum capita deciderunt: ab altero autem iacto in pronam Bonifacij ceruicem lato gladio (quem ille ictum intrepidus excepit) per summum ludibrium diuexati fuêre. Ast vbi viderunt impij Sacrorum derisores nihil eos qui mori pro Christo cupiebant, eiusmodi terricula expauescere, cõprehensos vinctosque & fœdis cõuitiis oneratos in diuersas custodias rapiunt. Primùm enim ad B. Jacobi, cui attiguas Ædes Hispanicarũ acierum Primores occupauerant, dein verò ad Vaticani Palatij angusta quædã cubicula, supra Horologiũ sita, pertrahũt, diutino & tetriore carcere macerandos. iis locis dũ hostiliter haberẽtur, mirè eluxit veluti noctu stellæ excelsa nostrorũ virtus, & constantia. nã & *Bonifacij* tolerantia, & Carafæ magnanimitas, atq; incredibilis zelus, & omniũ simul nõ victa aduersitatibus pietas, inflexit tandẽ immanẽ militum feritatem ad mitiora consilia. Caietanus autẽ licet lõgè minore q̃ Carafa esset apud Hispanos auctoritate, nõ desistebat tamen in loco eos admonere, arguere, inq; eorũ animis religionis igniculos, sceleribus

leribus

leribus penè iam obrutos, excitare. At nihil aliud cõsecuti sunt ipse, Carafa, ceteri, nisi vt quos liberè increpantes sustinere non poterant, in interiorem custodiã à se longius abegerint. Igitur è Jacobæis Ædibus extractos, in Vaticanum carcerẽ amandarunt; arbitror, vt tandiu squalore, fameq; vexarent, donec ab Episcopo, ceterisq; nummorũ aliquid exculperẽt. Ii tamen nihil prorsus, nisi sacrarum precum Breuiarium habebant. Sed faciente Deo, res benè, vtcunq; vertit. Nã quod diuitibus pecunia cõferre solet, id pauperibus Clericis vnicum quod iam dixi Breuiarium egregiè contulit. Res hoc modo gesta est. Inuitauerat aliquãdo Cẽturio ille, qui Nostros conclusos carcere tenebat, Tribunum militum Hispanorũ (vt mutuò muli scabunt) ad lautum conuiuiũ, quod in Vaticano, supra Horologiũ apparauerat. Accedit itaq; inuitatus, ad condictã diem atq; horam. Et dum mẽsa instruitur, ecce audire sibi videtur è proximo cubiculo (id clausum, quia carcer, erat) susurrũ quẽdã mutuò psallentium hominũ, & Diuinum Numen exorantium. Tum ad hospitẽ cõuersus quærit, quinã hominum illi sient. Hospes, spernẽtis in modum: *Sunt Clerici*, inqt, *aliquot, pars nostræ pdæ.*

Rogat

Rogat Tribunus, vt fecernere eos faciat. Ille morem gessit: & reserato carceris ostio, videt iste matura ætate ac moribus viros adeò composite & grauiter preces Deo soluentes, vt sanctorum coetum sibi aspicere videretur. Et reuerà Paulum, opinor, atq; Sylam referebant, itidem in custodia Philippensi, laudibus Deum celebrantes. Hoc adeò præclaro spectaculo commotus Tribunus, indignatusque homines eximiè probos in tanta mala proiectos, petiit enixè à Centurione ne eos diutius detineat. videri sibi prorsus innoxios, qui religiosos ritus, pietatemque diuini cultus etiam in carcere tuerentur. Cum autem Cẽturio obstinatior rem in tẽpus aliud differret, multis vltrò citroq; habitis super ea re verbis, *Ego* inquit Tribunus, *nihil profectò apud te cibi sumam, nisi hos extẽplò liberos, quò volunt, abire sinas.* Tandem igitur Centurio, partim ne subrusticæ asperitatis notaretur, partim quòd nulla spe lucri, pauperes Christi seruos, vinctos ibi haberet, reseratis foribus, educit atque dimittit. Patres, gratiis Centurioni, & Tribuno in primis actis, è Vaticano ad Tyberinam ripam rectà abeunt. Hęc omnia Bernardino nostro Schotto, qui post

Cardinalis fuit, palàm narrante, comperta sunt; atque pauca istæc solummodò è multis quæ ipse cum aliis in ea clade passus referre solebat, nunc posteri memorant; cetera, vtpote nequaquã scripto tradita, perierunt. Interim tamen ex his vel paucissimis, quæ sciuntur, idipsum de nostris his fortissimis Patribus dici posse, arbitror; quod de Sanctis Christi Confessoribus Vincentius Liti-
k Cap. 7. nensis scripsit. k *Eos à defensione fidei Maiorum nulla vis depulit, non mina, non blandimenta, non vita, non mors, non palatiũ, non satellites, non homines, non dæmones.* VIII. itaq; Kal. Junij ereptos extremo periculo duodecim illos viros, per medias Vrbis flãmas, mediosq; armatos hostes, Devs ipse, quasi nube tectos ad Ostia Tyberina perduxit incolumes. Inde, ductore Augustino Amulio, inclytæ Venetię amãtissimè suscepêre, vti Magius in Narratiũcula de Vita Carafę superius retulit; eã quippè hic longius repetere nõ est opus. Venetiis autẽ antequã firmè Domiciliũ Nostri figerent, primò in Æde S. Euphemiæ, mox ad *B.* Gregorii paulisper substitêre. Hic verò die Exaltatę Crucis eiusdem anni M. D. XXVII. coactus grex paruus sibi Pastorem Caietanum elegit, dignum vtiq; Theatini Episcopi

Epiſcopi ſucceſſorem. Et ſtrenuè quidem ſe geſſit in eo munere Caietanus, parteſque omnes boni prę ſulis expleuit. nam induſtria, labore, conſtãtia, præire cunctis: ſuauitate morum, modeſtia, miſericordia, nulli non obſequi: contigitq; quod eſt rariſſimum, vt illi nec facilitas auctoritatem, nec ſeueritas amorem deminuerit. Deniq; ſpectatiſſima Viri exempla magnam certè vim habuêre ad omne virtutum genus ſuorũ animis inſtillandũ. Accidit autem, dum eſſent Venetiis, peſtilitas illa, & quæ perpetua eius eſt comes, ſiue ſubſequa, fames, ex incredibili annonæ exorta caritate, quæ anno XXVIII. ſupra ſeſquimilleſimum Italiam atq; Europam penè vniuerſam depopulata eſt. Ea tẽpeſtate plurima noſtrorum Patrũ, & Caietani inprimis benignitas in pauperes, qui Venetias miſelli & palabundi turmatim confugerant, enituit. Miram Noſtri viciſſim Dei prouidentiã, & nullo mundi æſtu areſcentẽ charitatis fontẽ ſunt experti. Quippè quòd vrbe Roma extruſos, venetias petere oportuit, aduerſitas viſa eſt, ſed beneficium fuit. Venetiæ enim eo anno longè minus quã reliquæ Italię vrbes annonæ caritatẽ famẽq; ſenſerũt. Noſtri itaq; qui nihil à quoquã petendo, nihil ipſi

certorum censuum habendo victitare decreuerãt, & magna profectò si Romę perstitissent, premendi rerum inopia fuerant, iidem, moderãte rẽ Numine Venetias hoc est in tutam ab his calamitatibus Ciuitatem destinantur, vt Summo Parẽti deinceps liberè fiderent, *& sollicitudinem omnem* (vti Princeps nostri Ordinis Petrus monet) *in Deum proijcerent; quoniã ipsi cura est de nobis.* Mãsit

1. Pet. 5. verò Venetiis Caietanus quinq; propemodũ annos, qui quod nobis argumento vacuis excurrãt, non Caietani remissa virtus, quæ nunquam non acerrima fuit, sed Nostratium taciturnitas, qui diligentiùs viuere, quàm scribere maluerunt, in culpa est. Anno autem M. D. XXXII. ab Episcopo Theatino, qui tum Ædi S. Nicolai Præpositus erat, Caietanus, & Joannes Marinonius Neapolim ablegantur. Persæpè quidem & diu petierant à Carafa Neapolitani Proceres, vt Neapolim, hoc est, in patriam suam ipse reuerteretur; ibiq; vti Venetiis fecerat, Clericorum Regulariũ Ordini à se recens fundato domicilium figeret. Sed Carafa, vel quòd à Patriâ libenter abesset; vel quòd Campaniæ regionem, & Neapolim ipsam Lautrechi obsidione, & insequentibus ærumnis

miserè

miserè afflictam sciret, eiusmodi petitioni ægrè assentiebatur. Interea Joannes Antonius Caracciolus Comes Oppidi, Vir munificentia & ceteris virtutibus ea ætate clarus, cellulas quasdam ad Monasterii formam suo sumptu ædificatas propè Ædem S. Mariæ de Misericordia, Benedicto Titionio, eiusq; Sodalibus, qui religiosam vitā meditabantur iam concesserat incolendas. Contigit autē vt Benedictus adhuc anceps quodnā institutū sibi suis seruandū præfigeret, excitus sanctitatis nostrorū Patrum fama, quæ Neapolim vsq; peruenerat, Venetias ire, & paucis diebus (vt quondā S. Hilarion apud B. Antoniū fecisse legitur,) *m* omnem eorū vitę rationē discere, eamq; postmodū Neapoli in iam dicta Æde Misericordiæ seruare statuerit. Sed Benedicto postquā Venetias peruenit, adeò placuit Tolentinatis domus secessus, & nostri Ordinis institutio, vt mutato repente cōsilio, non iam Neapolim redire, sed Venetiis cū nostris Patribus degere, & Clericus Regularis fieri optauerit atq; impetrauerit. Hic est ille Benedict⁹ Titionius, qui postea Seuerus vocatus est à seuerâ scilicet vitæ ratione, quam, in se piè sæuiens, ad obitū vsq; tenuit. Comes itaq; Oppidanus, spe sua

m Hieron. in eius Vita.

quam de Titionio eiusque sociis conceperat frustratus, enixè petiit à Carafa, vt aliquot è suo Ordine Neapolim mitteret. Sed cum ille rem lõgius differret, Caracciolus, Primoresque alii Neapolitani, à Clemente VII. Pont. Max. quod cupiebãt obtinuêre. Opportunè enim accidit, vt per idem tempus, Patres de abeundo Neapolim ancipites, Christi Vicarium super ea re consuluerint; vt quid facto expediret, ipse perscriberet. Itaque supremi Pastoris sacri Diplomate iussi sunt Patres Neapolim proficisci. Debeo hic ponere integra Summi Pontificis verba, vt eius in nostrũ Ordinẽ amor, & nostrorum Patrum erga eum vicissim, fides atque obseruantia patefiat.

CLEMENS PAPA VII.

VENERABILI FRATRI JOANNI PETRO EPISCOPO THEATINO, ET DILECTIS filiis Caietano Presbytero Vicentino, ac eorum socijs Clericis Regularibus nuncupatis.

Venerabilis Frater, & dilecti Filij, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, vos per hoc fermè quadriennium, à nonnullis deuotis, etiam nobilibus laicis ex ciuitate Neapolitana,

politana, crebros pulsatos precibus, ac demum ab ipsa Ciuitate publicis litteris vehementius fuisse rogatos, vt illuc aliquot ex vestris Clericis mitteretis, qui locum in eadem ciuitate iam nomini vestro cōstructum recipere, atque inibi Domino famulari valerent: Vosque itineris longinquitate ac difficultate deterritos, simul & de vobis ipsis humiliter sentientes, nec ad satisfaciendum illorum expectationi vos idoneos cognoscentes, hactenus, illorum precibus acquiescere distulisse: sed cum hinc tam deuotæ Ciuitatis vel preces contemnere, vel deuotionem fraudare, vel certè liberalitatem aspernari durum, & inhumanū; illinc tanto vos itineri credere, tam longè posita loca recipere, & quod maius est, tantam opinionem expectationemque sustinere audax nimium, & supra vires vestras vobis esse videatur, hæretis in ancipiti, nec omnino vel quid statuatis, vel quod petentibus respōsum detis inuenire potestis. Quapropter diuino auxilio assiduis orationibus inuocato, ad nos tandem confugiendum putastis, nobisque pro vestra in nos, & in hanc sanctam Sedem pietate humiliter supplicare fecistis, vt quodcunq; nobis super eo videretur, vobis paternè consulere, de solita sedis Apostolicæ benignitate dignaremur. Nos igitur deuotioni vestræ satisfacere,

cere, quantum cum Domino possumus cupientes, cõsultationi ac petitioni vestræ taliter respondemus. Quod cum ex Domini præcepto, nos omni petenti tribuere, atque angarianti mille passus, alia duo simul pergere debeamus: Cumq; nos Paulus Apostolus non quæ nostra, sed quæ Iesu Christi sunt quærere doceat: quemadmodum ipse non quod sibi esset vtile, sed quod multis, vt salui fierent, se quæsisse testatur, debetis & vos aliquid laboris assumere, vt iuxta Domini præceptum valeatis proximorum vtilitatibus inseruire. Quod si qua vobis exponi contigerit, quæ vires grauare videantur, non debetis in virtute vestra confidere, sed in eo qui diues est in misericordia, & qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dat verbũ Euangelizantibus virtute multa. Quare ne vlterius sub ambiguitatis velamine latitantes perplexæ cogitationis æstuetis angustijs, vobis in virtute sanctæ Obedientiæ præcipiendo mandamus, vt aliquos ex vestris Clericis ad eandem ciuitatem Neapolitanam quam citius destinetis, qui loca quæcunq; oblata recipere, atque in ijs Diuino cultui, & humanæ, saluti se vniendo iuxta clericalia instituta, & vestras laudabiles consuetudines Altißimo valeant in virtutum exercitio famulari; ne illius fidelißimæ Ciuitatis quæ fidem

fidem Catholicam ab ipso Beatissimo Petro Apostolorum Principe, vt piè ibi creditur acceptam semper constantissimè fidelissimeq; seruauit, deuota desideria diutius differantur; Nec tu frater Episcope patria tua te amanti & roganti defuisse videaris. Volumus autem vt ibi omnibus ijs priuilegijs, & gratijs gaudeatis, quibus alibi vobis per hãc sanctã Sedẽ & per nos aut concessum est, aut concedetur in posterum, vti & potiri & gaudere, contrarijs non obstantibus quibuscunque. Datum in Ciuitate nostra Bononia sub annulo Piscatoris, die xi. Februarij. M.D.XXXIII. Pontificatus nostri anno decimo. Blosius.

His acceptis Carafa, permotus etiam, & Patriæ iteratis precibus, & Mariæ Sororis, quam vt matrem venerabatur, assiduis postulationibus, Caietanum Thienæum, & Joannem Marinonium Neapolim misit, non adhuc certus illic Domicilii firmè constituendi, sed vt aliquantisper experiretur an res succederet, atque vt istis eò missis, & Patriæ desiderio, & Summi Pontificis placito aliqua ratione satisfieret. Decora autem & memoranda extitit in procinctu eius expeditionis Caietani responsio: cui cum à Carafa dictum esset, vt ipse sibi Socium quem cuperet eli-

geret; *Egóne*,inquit,*Socium eligam quem malim? Immò oro atque obſecro hunc quem cernitis Chriſtum confixum Cruci,*(aderat quippè Crucifixi imago) *vobis vt inſpiret,illum mihi iungere Socium, qui meæ maximè omnium aduerſus ſit voluntati.* Hæc ille digna prorſus quę poſteri animo imprimant. Veruntamen contra quam precatus eſt tunc ſemel euênit;faciente nimirum Deo,vt is eligeretur,nō qui eius aduerſaretur placitis, ſed qui omnium promptiſſimus obediret:nam illi à Patribus datus eſt ſocius,Joannes Marinonius Venetus,vir adeò virtutum omnium ornatus inſignibus, vt neminem profectò eo præſtantiorem Neapolim mittere potuiſſent. Anno igitur M.D.XXXIII. IV.Non. ſextiles Caietanus & Joannes Venetijs diſceſſerunt. Romam cum perueniſſent, illicò Clementem Pontificem adeunt, qui vt eos vidit Solis ardore torridos,*Quò*,inquit,*abitis filij cum tanto vitæ diſcrimine in rabido hoc Caniculæ æſtu? At ſatius nobis eſt*,Caietanus reſpondit,*vitam hāc negligere, quàm tua iuſſa vel momento, Pater ſancte morari.* Miratus ſimul & delectatus obſequelæ promptitudine Pontifex,ac benignè eos contuitus,dimiſit, Crucis ſigno abeuntibus benè precatus.

tus. Ij Neapolim profecti, in Cellulas quasdam Sacræ Ædi B. Mariæ de Misericordia attiguas, Joannis Antonii Caraccioli Oppidani Comitis sumptu, vti dictum est, coemptas apparatasque officiosissimè excipiuntur. Placuit Patribus loci Deiparæ dicati sanctitas, læta item amœnitas & solitudo: quippè qui extra Portam Januariã longiusculè à mœnibus Vrbis dissitus, infrequẽs per ea tempora erat, & raris cultus accolis. Et verò solenne propemodum fuit ijs qui Religiosos Ordines fundauêre, locis vulgo abiunctis, seuera spiritus dedicare primordia: ex iisq; post inita beneq; firmata cũ Cœlitibus fœdera, ad humana & turbida hæc, veluti Elias aut Joãnes alteros prodire. Itaque significauit Carafæ Caietanus, *Nostros opportunum quidem contemplationi nactos esse locũ. mitteret igitur quamprimum alios, quibuscum vnà possent Religionis officia obire. Sperare se ijs adiũctis, Neapolitanos ciues, quibus adhuc vix de vocabulo cogniti essent, in dies magis magisq; ad audiendũ DEI verbum, atq; ad virtutũ imitanda exempla illuc vsq; allecturos. Sin minus; aut mutato domicilio, aut certè alia quapiam ratione præstituros, vt nihil à se diligentiæ, atq; religiosi officij iure à quoquã desiderari posset.*

 Carafa

Carafa igitur extēplò ſex alios veluti ſubſidiarios milites Neapolim ablegat, videlicet Marcũ Venetum, & Petrum Veronēſem, Michaelem Monopolitanum, & Laurentium Sacerdotes; Duos itē clericos, Hieronymũ Conſiliarium, atq; Andreā Verſum Romanos. Hi circa finē Octobris, inuitāte nimirũ adulti iā Autumni tēperie, Venetiis profecti, Neapolim incolumes peruenerunt: quibus omnibus, Comitiorũ decreto Venetiis Septēbri proximo celebratorũ, datus eſt Præpoſitus Caietanus. Sequentis anni Februario, die *S S.* Fauſtino & Jouitæ martyribus dedicato, Petrus Veronēſis, is qui Doctoris Laureā, ob ſpectatā eruditionē iā olim Pariſiis acceperat, & poſtq̃ Cācellarius fuit, Eccleſiæ Baiocēſis, Epiſcopatũ à Franciſco I. Gallorũ Rege oblatũ ſtrenuè recuſauerat, vir ſcilicet gemini Juris, ac Græcæ linguæ peritia, & ꝙ maius eſt, probitate morũ eximius, ſeſe Deo ſolenni formula, Religioſis Votis obſtrinxit; Sacrũ faciente Caietano Præpoſito. Deinde verò IX. Kal. Aprilis eiuſdē an. XXXIV. ſupra ſeſquimilleſimũ, Patres ad vnum oēs, è Domo S. Mariæ de Miſericordia diſceſsêre. Diſceſſionis cauſſæ hæ fuiſſe perhibentur. Prima, quòd tametſi loci ſolitudo, vti iā dictũ eſt, non niſi grata dicatis Deo mentibus, & contēpla-

tioni

tioni rerum cœlestium contigisset, auentib. tamē Diuini verbi semina cum spe fructuū spargere, & Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ (quod proprium Clericorum est munus) administrare, nequaquam opportunus videbatur loci à turbis abiuncti diuturnior incolatus: experiebaturq; quotidie, quod tametsi ad ipsos videndos fouendosq; vis sanctitudinis paucos aliquot iam antea etiā notos, illucvsque pertraheret, reliqui tamen plerique omnes vix de nomine, aut ne vix quidem nostros Patres, nouique Ordinis institutum nouerant: tantum abest vt ad ipsos Diuinum verbum audituri, & cælestia Sacramenta percepturi, atq; Altari seruientes, debitis alimentis foturi accurrerent. Accessit caussa altera, quæ eos extemplò inde abire compulit. Ea fuit quotidiana ferè Oppidani Comitis cohortatio, qua Patres sollicitabantur, vt ad instar aliorum multorum Ordinum, certos prouentus, censusque perpetuos sibi præberi paterentur. Neque id verbotenus agebat Caracciolus; sed oblata eis non spernenda vi pecuniæ, è qua postmodum legitimè fœnerata perpetuos census exigerent, magis ac magis vrgebat, propositam à se conditionem consiliumque

ne recusarent. Atq; vt id facilius persuaderet, adiunxit sibi Religiosos aliquot, qui dicerent, *malè Nostris consultum iri, nisi relicta pristina viuendi ratione è sponte oblatis, maturè suorum securitati cōmodoq; prospicerent.* Patres contrà & Caietanus maximè Apostolicæ Paupertatis eximius amator, initam semitam insistere, in animum induxerant. Quocirca eadem propemodum Religiosis illis & Caracciolo respondêre, quæ nostri auctores Ordinis, Romæ de hac ipsa re ambigentibus quibusdam iampridem responderant; videlicet, *tutius sibi perfectiusq; videri, Christi exemplo hac eadem ratione viuentis, quàm incerto diuitiarum niti; & cum Apostolis sanctè desipere, quàm ex humanæ prudentiæ tametsi non illicitis legibus vitæ modū inire. Neq; iam honorificum sibi fore in re tam graui, mutato repentè, quod pridem pro libito cœperant, cōsilio, lubricis censibus, & terrenis spebus velificari. Quòd ad me attinet*, inquit Caietanus, *Nolo ego qui mea omnia pro Christo dimisi, nunc copioso prouentu, aliena recipere:* Conuersusque ad Religiosos illos; *Dicite vos mihi*, ait, *Patres, Redditus hos vestros, quorū securitatem tantopere prædicatis, vndenam exigitis? E prædijs*, inquiunt, *atque agris; quos*

quos annuo prouentu vectigales habemus. Benè est, ait Caietanus. *At quanam ratione certi estis colonos, promissos census vobis quotannis soluturos? Ex pacto,* responderunt, *in scriptum relato, tabulisq́ publicis, quas cum illi vectigalia pendere abnuunt, aut procrastinant, proferre possumus, & in ius vocatos ad soluendum adigere. At ego,* inquit Caietanus, *longè certiores habeo facultates, & firmiores tabulas. Si enim vos prædijs chartisq́ nitimini, habeo ego Christi Chirographum, & obsignatas eius sanguine paginas, quæ mihi meisq́ certissimè pollicentur, nihil vnquam nobis Christo famulantibus defuturum: Quærite, inquit, primùm Regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Itaque de hac vna re meritò sum sollicitus, num scilicet regnum Dei quæramus, & justitiam eius, hoc est, an æternorum bonorum acquisitioni & Christianæ legis obseruationi strenuè ac seriò incumbamus. Hoc vnum si adfuerit, nihil ambigo de eo quod sequitur, omnia videlicet terrena hæc quæ ad sustentandam mortalem hãc vitam faciunt, adijcienda, hoc est absq́ nostra anxia procuratione fore præbenda. Huius certè promissi veritatem, longo hactenus experimento cognouimus: toto etenim hoc decennio reipsa comperimus, nihil nobis*

vel

vel in maxima ea annonæ caritate, quæ ante ſex annos contigit, ſiue ad corporis cultum, ſiue ad Templi ornatum, per Dei gratiam, Venetiis defuiſſe. Ad poſtrema hæc Caietani verba, Oppidanus Comes, *At aliud,* inquit, *Venetiæ ſunt, aliud Neapolis. Si ibi eiuſmodi inſtitutum ſucceſſit, vereor, Neapoli non ſuccedet.* Tum Caietanus magno animi impetu, *Mihi quidem,* ait, *certum eſt, illum ipſum DEVM qui eſt Venetiis, eſſe & Neapoli.* atque his dictis vtrinque diſceſſum eſt. Poſt aliquot verò dies, cum vidiſſet Caietanus adhuc perſiſtere Comitem in ſua ſententia, & vix eum velle Patres in ea Domo de Miſericordia degere, niſi quam propoſuerat certorum reddituum conditionem acciperent, conuocatis manè fratribus, iuſſiſque vt quiſque ſumpta veſte extima, Breuiarioque Sacrarum precum ſe ſequeretur: è Domo illa, ad vnum omnes egreſſi ſunt, obſeratiſque Templi, atque domus ianuis, claues ad Comitem cum his verbis Caietanus remiſit, Caietanus aliique Clerici Regulares, tibi Comes, ſignificant, ſe domo tua abire, æramentis, quæ dederas omnibus, aliaq; ſuppellectili tibi relictis,

atque

atque experiri se hoc modo velle, an DEVS Venetiarum sit & Neapolis DEVS. Profecti igitur inde Patres alacri animo, & in Apostolica paupertate constantissimo, in Nosocomium Insanabilium, hoc est, in Christi domum recepti sunt ab eximiæ virtutis Matrona Maria Laurentia Longa, quæ se suaque omnia pauperum atque ægrotorum seruitio addixerat, eique Nosocomio summa cum potestate præerat. Comes autem Oppidi ob rei nouitatem, Christianamque Caietani libertatẽ, primùm stupore defixus est: postea verò vt se collegit (erat quippe Vir pius, & veræ virtutis idoneus æstimator) abrupto discessu, non est indignatus Patribus, alienatusúe, & nihil prorsus de amore erga eos obsequioque deminuit. Jam enim multò ante nouerat Caietani sinceritatem & ingenuam indolem. itaque rogare eum etiam atque etiam, vt æramenta saltem, & ceterum domesticũ instrumentum, quod Patribus iam donauerat, recipere vellet. id verò tandem obtinuit. Diuersabantur igitur Patres apud iam dictam Mariam Franciscam Longam, vt quondam Romæ apud Paulam S. Epiphanius. Illa viro suo Joanne Longo, nobili Iureconsulto, & Ferdinando Regi Ca-

tholico à ſupplicibus libellis, demortuo, cùm inſanabili paralyſi in Æde Lauretana *n* diuinitus ſanata fuiſſet, tanti beneficij probè memor, Inſanabilibus curandis fouendiſque piam nauabat operam. Ex eo autem die, quo Joannem Petrum Carafam, & Bonifacium à Colle Neapoli viderat, (fuêre namque hi duo Patres Neapoli anno Sal. M. D. XXX. vt Mariæ Carafæ ad Monaſterium S. Mariæ de Sapientia emigrare meditanti opem ferrent) magno deſiderio capta eſt, vt Noſtri, & in iis Carafa præſertim, Neapoli domicilium figerent. Caietanum itaque alioſque à Carafa Venetiis miſſos ingenti cum lætitia atque humanitate excœpit. Quocirca illi Carafa ſcripſit in hæc verba.

n Lege Turſell. Hiſt. Lauret. lib. 2. cap. 10.

Litteræ tuæ, Domina ſatis virium habere potuiſſent, ad nos hinc permouendos, vt iſtuc veniendo, Diuinæ voluntati per te nobis oſtenſæ obſequeremur. Sed quoniam id equidem nunc præſtare non potui, viſum eſt ad Septembrem vſque differre, & videre interim, an DEVS mihi iſtuc veniendi vires & facultatem tribuat. Porrò de mea in hac re voluntate debes tu quidem eſſe extra omnem dubitationem,

nem, non solum ob patriæ meæ beneficium, cui seruire debeo, sed etiam vt tuo desiderio per nos satisfiat. Inde ortũ est, vt exigentibus id à nobis Urbis istius Rectoribus, coacti simus mittere fratres nostros Caietanum & Joannem, quos ab initio tuæ potissimum fidei commisimus, tibiqúe vni præcipuè commendauimus, nulla aliorum amicorum aut propinquorum facta mentione. Quapropter ex ea re cognoscere potuisti, quam egregiè erga te affecti simus, & quàm fidenter in te vna, DEO id nobis inspirante, spem habeamus. Ego vicissim apertissimè cognoui non frustra nos in te fidem collocasse: quia non excepisti iã dictos meos fratres, vt homines missos ab hominibus, sed vt Angelos sanctos à Diuino Numine delegatos: & pergis insuper fouere eos eximia charitate, nostrumque meritum & opinionem longè superante. Itaque cum nihil ambigere debeas de meo in hac atque in omni alia re quam tibi gratam nouero, prompto animo, illud solummodò est reliquum, vt assiduis orationibus à Deo impetretur lumen, quo diuinam eius voluntatem dispicere atque exequi valeamus. Venetiis IV. Non. Maias. M. D. XXXIV.

Litteras hasce huc inserere volui, vt & sanctæ illius mulieris virtus, & eiusdem de Caietano ac Joanne, quos tam honorificè exceperat eximia existimatio cognosceretur. Ædes autem quibus excepti fuerunt, erant eo ipso loco, vbi postea illis dirutis fundatum est Monasterium mulierum Pœnitentium, quæ vulgò Conuertitiæ appellantur. Quoniam autem tanta erat Domicilij angustia, vt nullâ ratione possent Nostri inibi liberè degere, & Regularis vitæ obire officia, quinetiam Mariæ Longæ non parum incommodi (quod tamen illa libentissimè tolerabat) sua præsentia præbere viderentur, idcirco Patres Prid. Kalend. Sextiles eiusdem anni, iterum mutatis sedibus ad aliud huic penè contiguum Domicilium commigrarunt: ad illud videlicet, quod deinceps vulgò nuncupatum est, Paruum Stabulum, eo quòd Stabulo in Sacram Ædiculam conuerso, formam referret Bethleemitici Templi, quod S. Hieronymus, aliiq; cum eo Regulares Clerici ad Christi cunabula, prope Paulę & Eustochij Monasterium, incoluerunt. Et pulchram quidem cernere erat ex illo Bethleemitico exemplari expressam Sacelli faciem, Ara videlicet maxima eo ipso stabuli

buli

buli loco, vbi præſepe iumentorum fuerat, conſtituta. Viſum eſt nequaquam alienum ab inſtituta narratione minuta hæc perſequi: quandoquidem iſta certè Domus Parui Stabuli vocabulum ſortita, Ordini noſtro Neapolim incolenti rudimenta atque incunabula ſpectatiſſimæ virtutis exhibuit. Cum enim Patres inibi degerent, & puriore cultu Deum honorare pergerent, atq; ægrotis qui proximo Noſocomio detinebantur; incredibili charitate ac diligentiâ aſſiduā opē ferrent, ecce Caietani virtute atque precationibus patratum eſt inſigne illud miraculū de luxati fractique cruris ſanatione, quod frequenti & conſtanti ſeniorum relatu ego aliique Noſtrûm complures ſæpiſſimè audiuimus. Id ita geſtum eſſe tradunt. Erat in ea familia frater è Laicis quidā Clericorum miniſterio addictus. Hic cum fortè domo exiret infigit alterum pedem in clathratā ſubterraneæ cellæ feneſtram: dumque eluctatur, vt extrahat, crus prope talum miſeris confringit modis. Domum reportatus triſte ſpectaculum facit mœſtis fratribus, & Patri ipſorum Caietano. Aduocatur è proximo Inſanabilium Noſocomio Chirurgus, qui vbi multa adhibuiſſet ſuæ artis ſubſi-

dia, ſed incaſſum omnia, tandem ſæuiente in dies vulnere, fractus crus redintegrari non poſſe pronuntiat. Secandum igitur conſulit, ne reliquo corpori extremum exitium creet. Idipſum & alij medici aſſeuerant. Chirurgus itaque lenitum crus & pedem cataplaſmatis, atque obligatum faſciis, veſperi deſerit, mane vt ſecaret rediturus. Caietanus (qua erat charitate) miſertus hominis miſeram vicem, acerbos adeò dolores ea ſectione ſubituri, profunda nocte, cum ceteri omnes dormirent, lucernam quandam ferream, & rudem ſibi ipſe gerens, miſerrimum ægrotum, ſenſim, ne expergefaceret, adit: Sed repperit vigilantem, quòd, vti credere par eſt, & præſens fracti cruris dolor, & imminentis cruciatus repræſentatio omnem ab eo ſomnum excuſſerat. Ipſe primo aditu ſalutat: mox longiuſculè ſuauiſſimis verbis affatus conſolatúſque hortatur, vt ſe Beato Franciſco fidenter commendet, certoque ſperet, illum, potentiſſimum apud Deum Patronum, ſibi neutiquam defuturum. Poſcit deinde vt ſinat ſe faſcias reſoluere, & crus fractum inſpicere. Annuit ille; & Caietanus leniter crus atque pedem palpans, vt vidit

vidit cruris ingentem tumorem, & vulneris acerbitatem, figit genua ad Lectuli spondam; monet vt & ipse secum ægrotus preces fundat: Post breuem precationem, impresso vulneri Crucis signo, atque osculo, crus fasciis obligat, atque abscedit. Manè Chirurgus, vti pollicitus fuerat, reuisit ægrotũ: rogat (vt fit) quomodo se habeat. Ille, nihil propemodum doloris se amplius sentire. fasciis igitur resolutis, repperit medicus (mirũ dictu) crus integrum, & plagæ adeò atrocis vix vestigia. Ne mireris, sincere Lector, nos ignorare nomen ægroti & diem qua res tanta accidit. Ea est veterum, & nostrorum maximè, gestorum conditio, vt non nisi aliqua ex parte corrosa temporis dente, ad posteros peruenerint. Adde his solenne sanctorum Virorum studium celandi res suas, quæ cognitæ plausus parerent: *quia* (vt ille ait) o *laudem ab hominibus non requirentes, quantum in ipsis fuit, omnes virtutes suas latere voluissent.* Et vt simile prorsus, habeas exemplum, obserua Lector, neque iuuenis illius, cui Beatus Antonius Patauinus crus amputatum consolidauit, vocabulum sciri. Non ideò tamen aut grauissimi etiam Historici p indignum reputarunt quod

o Seuer. in Prol. ad Vitã S. Martini Episcopi.

p Surius To. 4.

quod ſcripto traderent, aut eiuſmodi narrationi mutilæ, fidem poſteritas abrogauit. Ad Caietanum redeo, qui cum iam biennium domum Stabuli ſumma cum laude rexiſſet, anno M. D. XXXVI. Octobri menſe vnâ cum Petro Veronenſi, & Michaele Monopolitano, ad celebranda Comitia Romam abiit. Sub idem fermè tempus Venetiis profecti ſunt Joannes Petrus Carafa Epiſcopus Theatinus, Bonifacius à Colle Alexandrinus, Paulus Conſiliarius Romanus & Nicolaus Veronenſis, Romam & ipſi petentes. Cùm enim Carafa à Farneſio Pontifice iã tertiò fuiſſet Romam accerſitus, atque paulò poſt adlectus in Cardinalium numerum, id cauſſæ fuit, vt noſtra Comitia, in ea Vrbe, Decembri menſe (loco ſcilicet & tempore Noſtris tunc inſolito) haberi neceſſe fuerit. Electis igitur Bernardino Schotto Venetę, & Petro Veronenſi Neapolitanæ Domus Prępoſitis, Caietanus Neapolim reuerſus eſt. Ibi is Proceribus multis, atque Petro Toletano, Proregi iã notus gratuſque, Chriſtianæ prudentiæ, atque eximiæ probitatis crebra exempla, vti pridem cœperat, edere deinceps perrexit. Interea Maria Franciſca Longa in ſuiipſius, mundiq́ue contẽptu magis

magis magisque proficiens, quemadmodum diu antè, nempè anno Sal. M.D.VI. adiuuante Concionatore quodam Monopolitano è Dominicana familia, Insanabilium Nosocomium construere cœperat, ita nunc hortatu Caietani, qui eius Confessiones excipere solitus erat, Monasterium Sacris Virginibus, ex instituto S. Claræ, quæ Cappucinæ dicuntur, exædificare, eoque constructo, seipsam ex Voto, Diuinis obsequiis perpetuò tradere meditabatur. Id consilium, quod Diuinitùs (vti par est credere) afflata concœperat, cum Caietanus modis omnibus cuperet vt operi mandaretur, ab hac etiam Æde Stabuli, eique attigua Domo abscedere constituit, vt Nostris inde abeuntibus, Mariæ Longæ inibi Monasterium construēdi daretur opportunitas. Nam iamdiu antea, eo fine, stipe piorum aliquot hominum, qui nostrorū Patrum erant amantissimi, coëmpta illa domus fuerat, & Nostris ea conditione tradita, vt quandocunque Clerici Regulares, aut ad aliud Domicilium intra Neapolim migrare, aut Neapoli prorsus abscedere contingeret, ea Domus Mariæ Longæ, & Sacris Virginibus extemplò cederet. Dum discessionem igitur, ex ea Æde parui Stabu-

 li ador-

li adornarent Patres, Neapolitani Proceres, multa animo designare loca, è quibus aliquod Nostris incolendum traderetur. Sed dum consultando, & exortas difficultates expediendo tempus extrahitur, Caietanus, vt erat celso Vir animo, & nulli addictus loco, potius Neapoli cum tota familia penitus abire, & Venetias reuerti decernit, quàm eam parui Stabuli domum, in qua Sacrarum Virginum Monasterium ædificandum erat diutius incolere. Itaque ipse & Petrus Veronensis, Præpositus, certi iam se Neapoli discessuros, Petrum Toletanum, Proregem, qui tum Puteolis erat, adeunt, cùm vt illum, qui aliquid iam de hac Patrum cogitatione audiuerat, de caussis discessus certiorem facerent, tùm etiã, vt tanto Proceri, qui multa sibi atque reliquis Clericis Regularibus beneuolentiæ signa ostenderat, gratias saltem agerent, qui referre non poterant. Exponunt igitur Proregi caussam suæ discessionis. *Quòd*, inquiunt, *iam quatuor totos annos Neapoli mansimus, & ter mutatis sedibus, nullum adhuc certum aptumque locum nacti sumus, id, nisi fallimur, indicium non obscurum est, DEVM nolle, hic nos diutius permanere. Tuo itaque concessu, Præstantissime Princeps, statui-*

ſtatuimus , propediem his regionibus emigrare. Prorex hæc audiens ægrè tulit, religioſos adeò viros, quorum virtute multa præclarè geſta inaudiuerat, Neapoli, eo potiſſimum tempore, abſcedere, quo eiuſmodi hominum, non minus vitæ exemplo, pollentium, quàm eloquio, ea ciuitas maximè indigeret. Proinde explicatè reſpondet; *Si DEVS, vobis, Patres, videtur oſtendiſſe hinc debere diſcedere, is ipſe mihi ſuggerere videtur, me nulla ratione debere vos dimittere. Conſiſtite igitur; nam certè loca non deerunt. Ite autem & incolite Sancti Pauli Ædem. Curabimus nos interim, vt aduerſa omnia, quæ obſtare poterunt, quamprimùm expediantur.* Hoc accepto humaniſſimo reſponſo, Patres, gratijs actis, Neapolim redeũt; admirati ſummam Dei prouidentiã in eos maximè, qui rerum ſuarum minimè anxij, curam omnem ſollicitudinemq; in ipſum proijciunt. Prorex verò iam mandauerat Joanni Mariæ Tolfio, Sanualentiniano Comiti, juberet ſuo nomine Laicis Sodalibus Fratrîæ S. Pauli, qui Sacellũ in eo Templo & cubicula aliquot habebãt, vt ea Patrib. inhabitãda cederent. Poſt aliquot verò dies, anxius fortaſſe, ne Caietan9 aliiq; de obtinẽda Paulina Æde ambige-

rent, néue iterum de discessu cogitarent, binas ad Patres, è Summa Veseui Municipio Montis, litteras dedit, rogans ne discederent, pollicensque se breui facturum, vt ea Ædes liberè ipsis traderetur. Quod profectò præstitum est egregiè. Nam Sacello Fratrîæ extemplò potiti sunt Patres, & non multò post totius Templi, atque attiguæ domus Vincentio Carafa S.R.E. Cardinali Neapolitano, & Scipione Tarracina, Abbate concedentibus, possessionem inierunt, Prorege, & Ciuitatis Magistratibus summa lætitia affectis: nam & hi, vt desiderium, quod retinēdorum Neapoli Patrum habebant, re ipsa ostenderent, publico ciuitatis nomine miserant Romam Joannem Baptistam Perezium, qui cum Cardinalibus Neapolitano, & Theatino, de hac re diligentissimè ageret. Reuerso igitur Roma Perezio cum prospera rei expeditione, Patres Apostoli Pauli Basilicam libera & certa iam possessione adepti sunt XIV. Kal. Jun. M.D.XXXVIII. Est verò ea Basilica, Neapoli valdè insignis, ac frequenti populorum concursu à prima eius structura apprimè celebris, vtpote ex publico Ciuitatis Voto, eo prorsus loco, super euersum Dioscurorum Fanum à Christianis condita, vbi anno

anno Salutis DCCII'c. Carolo Magno Rege, de Saracenis, qui illucusque irruperant, nobilem victoriam consecuta fuerat, die Conuersionis S. Pauli; vti Vaticanus M.S. Codex disertè docet. Hæc aliquantò fusiùs narrare libuit, vt Proregis, & Neapolitanorum Procerum erga Nostros singulare studium, & Caietani atque aliorum Patrum insignis virtus, quos vt ij in ea Vrbe retinerent, tantopere laborauerint, palàm fieret. Et verò conceptæ ab his opinioni, Nostrorum probitas, eruditio, diligentia, reipsa optimè respondit. Nam sub idem ferè tempus immanis morum atque animorum pestilitas Neapolim inuasit, quæ Paulinorū Patrum (sic enim à iamdicta Æde S. Pauli ibi deinceps vocati sunt) & Caietani cumprimis, zelum Catholicæ fidei, virtutemque declarauit. Rem altiusculè repetam, vt quātò in discrimine ea vrbs, adeoque finitima ora fuerit, cognoscatur. Campania (vt & reliqua Italia) variè his annis quassata est bellis, adscitis ad vastitudinem, quasi non sola sibi exitium inferre suffecisset, exteris etiam & efferis nationibus. Verùm (quod deterius multò est) Hęretici homines Regiam Vrbem Neapolim, à Petro ipso Apostolorum Principe fidei docu-

mentis institutam, Lutheriana labe inficere studuerunt. Nam primò Germani equites ad duo mille, & sex millia peditum, qui post direptam Romam eò conuolauerant, vt Lauthrecum obsidentem repellerent, impij dogmatis, quod Luthero propinante imbiberant, multa & nefaria exempla passim ediderunt. His posteà aliò amandatis, vnus Joannes Valdesius Hispanus, qui anno M. D. XXXV. Neapolim venit, longè maiorem mentium stragem dedit, quam multa illa Hæreticorum militum millia. Hic enim litteris tinctus iis, quæ ad comparandam eruditi opinionem satis vulgo essent; placido aspectu, quique innocentiam præ se ferret, comitate, suauitateque sermonis, teterrimam impietatem, incredibili vaframento occultabat. Itaque breui ad se traxit multos, his artibus illectos deceptosque. In his duo fuêre, ceteris omnibus insigniores, & digna Coruo oua, Bernardinus Occhinus, & Petrus Martyr Vermilius, ambo Hæreticorum postea Antesignani. Bernardinus, magni concionator nominis, ostentatione asperrimi victus atque indumenti, egregiæ sanctitatis famam sibi conciliauerat, Petrus verò Linguarum peritia excultus,

in

in Cœnobio Sancti Petri cui præerat, Epistolas Pauli Apostoli publicè exponendo, ad sensum hæreticorum dexterè peruertebat. Initium detegendæ impietatis à Nostris factum. quippe Caietanus, perspicaci vir ingenio, rem odorari cœpit. Aduertit enim dogmata, quæ illi Satanicæ Reipub. Triumuiri, de Purgatoriis pœnis, de Summi Pontificis potestate, de libero hominum arbitriò, de reorum iustificatione, passim inspergebant, sapere nouitatem, temerariam atque adeò detestabilem impietatem. Obseruaueratque Occhinum ab vsque anno M.D.XXXVI. quo in Æde Sancti Joannis Maioris concionatus fuerat, ambiguis quibusdam dilemmatis, & obtrectatione in Ecclesiasticos Magistratus, cœpisse Auditores nequissimis persuasionibus inescare. Hoc verò Anno M. D. XXXIX. nempe paulò post quam Nostri Paulinam Ædem adepti sunt, is ipse Occhinus cilicino indumento, & raucis declamationibus, hoc est, instrumentis ad concitandam multitudinem, instructissimus, è Metropolitani Templi pulpito, multò liberius apertiusque Lutheriana ferebat dogmata. Caietanus igitur qui ad hos

audien-

audiendos, obseruandosque & ipse ire, & alios dedita opera mittere solitus erat, nihil iam cunctandum ratus, Cardinalem Theatinum, qui tum Romæ, Paulum III. P. M. ad instituendum in ea Vrbe supremum Inquisitionis Magistratum magis magisque sollicitabat, de iis rebus atque hominibus impiis certiorem fecit; & Neapolitanos interim ipse monuit, vt porrò sibi cauerent. Deniq; conatus est modis omnibus Hypocritis illis Laruam detrahere. Quocirca etsi illi sub ouina pelle Lupi, aliquot annos, cum magna Campaniæ pernicie, latitauerunt; tamen aliquando tandem, crescente nimirum in dies nequitiæ suspicione, & patefactis promiscuis, & pudibundis virorum ac feminarum coetibus, quos clanculum cogebant, omnes, vt periculo præuerteret, quod sibi ab vrbe imminebat, alius alio aufugerunt. Ad fugæ istorum nunciũ, Cardinalis Theatinus, missa ad Ochinum è solis sacræ scripturæ verbis contexta Epistola, quâ demulcendo, quâ increpando, conatus est reducere errantem ad Catholicas caulas. Sed frustra id fuit. Nam ille paulò post, relicta Italia, Tigurum Heluetiorum vnâ cum Cacomartyrè conuolauit. Porrò Caietanus aliique nostrates, fuga-

fugatis iam hostibus, magnam apud pios quoslibet gratiam inierunt: confluebatque ad B. PAVLI Ædem è præcipua nobilitate atque è popularibus innumera multitudo, vt inibi salutaria Pœnitentiæ atque Eucharistiæ Sacramenta perciperent, & Caietani ac Joannis Marinonij sermones auscultarent, quos illi vicissim de rebus cœlestibus absque pompa quidem verborum, sed cum eximio prouentu virtutum habebant. Jamque Nostri, cum spectata in dies vitæ morumque sanctimonia, tum studio humanæ salutis, quam dies noctesque, nullis parcentes laboribus, procurabant, tantam sibi potentiorum ac tenuiorum beneuolentiam conciliauerunt, vt tametsi rarissimè eos per Vrbem cernerent, nihil tamen aut crebrius in ore, aut fixius in animo, quàm Paulinos Patres haberent. Ii verò qui turmatim S. Pauli Templum adibant, adeò sacri loci, & incolarum veneratione perfundebantur, vt veluti Numine tacti, nō dico strepere, aut petulantius fabulari, sed ne hiscere quidem auderent. Itaque in maxima multitudine maximum silentium seruabatur. Admirabantur autē Templi decorem, & Sacri Instrumenti munditiem diligentissimè procuratam: Ritus Cerimo-

niasque compositè, & ordinatè peractas; Nouum sed à veteri æuo deductum Sacras preces canendi modum: Nostrorum innocentiam, modestiam, grauitatem, quã fixis humi obtutibus, paucis verbis, sedato vultu, exporrecta ad omnia Religionis & charitatis officia voluntatè, constantissimè exhibebant. Hæc libens memoro, vt veterum mores ritusq; Patrum quos posteri hactenus, haud omnino segniter, per Dei gratiam retinent, etiam atq; etiã deinceps imitando exprimant. Iam verò superiore anno M.D.XXXIIX. aucta fuerat Neapoli, familia Clericorum Regularium: scilicet, vt tot tantisq; laboribus pares esse possent, atq; vt aucto colonorum numero, augeretur & spiritaliũ fructuũ messis. Quocirca præter nonnullos Nouitios, qui Neapoli adsciti sunt, *Bernardinus* Schottus Præpositus S. Nicolai, duos clericos Venetiis iã miserat, videlicet Seuerũ Titioniũ, Fundanũ Diaconũ, de quo suprà diximus, & Jacobũ Yuannium Hispanum, illum inquam qui in clade Romana, vitæ discrimen, ærumnasq; ingẽtes vnà cum aliis, quos initio memorauimus, subierat. Hi Neapolim incolumes peruenerãt, VII. Idus Junij præteriti anni. Anno autem M.D.XL. Aprili mense in Comitiis

Nea-

Neapoli celebratis, Caietanus creatus est Præpositus Venetę Domus S. Nicolai. Itaq; relicto Joāne Marinonio, piissimo illo sene, quē iisdē Comitijs Patres Paulinę Ædi præfecerant, ipse vnà cum Petro *V*eronensi, Marco *V*eneto, & *B*ernardo Tudertino *V*enetias reuertit. Circiter verò annum M. D. X L I. nisi me temporum ratio fallit, Caietanus simul cum Joanne Antonio Prato Mediolanensi clerico, aliisque quibusdam *V*eronam cōcessit. Testatur enim Pratus in sua Narratione quā de Caietani gestis scriptam reliquit, se aliquandiu cum eo Veronæ vixisse. Id autem non potuit esse ante hunc annum, quia Pratus nondum in Ordinem nostrum adscitus fuerat. Neque post annum. M.D. X L I I. nam initio quadragesimi tertij Caietanus Neapolim rediit, vti mox dicemus. Sed cum de re certi simus, de tempore anxij esse desistimus. Igitur Caietanus Veronam aliquando abiit, & incoluit vnà cum aliis Nostratibus easdem Nazarenas Cellulas, quas anno vigesimo octauo Bonifacius incoluerat, vti in Vita Bonifacii dicemus. Eò vsq; à Giberto Episcopo, q̄ tū relicta Aula Romana Veronæ ad suos populos præsens aderat, quotidie cibi qui Nostris abundè

ſufficerent, mittebantur. Et primis quidem diebus, ne tanti Præſulis beneuolentiæ nihil omnino concedere videretur conniuere voluit Caietanus. at vbi iam id veluti ex inſtituto aſſiduè ab eo fieri animaduertit, Epiſcopo liberè ſignificat, *ne deinceps amplius ad ſe mitteret cibariorum. Satis eum iam feciſſe liberalitati, aut Chriſtianæ beneficentiæ. ſineret ſe ſuosq; poſt hac religioſam inopiam prò voto experiri; alioquin virtutem, quæ nullo incommodo exerceatur, facilè eneruari.* Audiit hæc cum admiratione Gibertus, & gauiſus eſt valdè, tam fortes Chriſti milites, intra Veronæ mœnia, ſe procurante, contineri. Ipſe tamen nihil remittit de ſua mittendæ alimoniæ conſuetudine. Itaque Caietanus, qui perfectiſſimæ & quã poſteri admirari potius quàm plenè aſſequi poſſunt, Chriſtianę libertatis, & paupertatis exempla reliquit, comminatus eſt Epiſcopo, ſe ſuosque ſodales, ſiquid certi mittere deinceps pergeret, illicò Veronæ finibus exceſſuros. Atque hac demum ratione Giberti erga nos liberalitatem Caietanus ſanctè cohibuit. Ipſe verò ſoli nixus Dei prouidentiæ, atq; adeò ſolis fortuitis piorum oblationibus viuere ſtatuens, læta omnia ſperare, quæ Christi Euangelium, hoc eſt,

Diui-

Diuini verbi firmitas adpromitteret. Interea tamen ad illum Sodalesque eius ad extremam egestatem sponte redactos, & vix à quoquam in ea Vrbe cognitos, rarò nummorum aliquid aut ciborum erogabatur. Quocirca ad cibarium panem, non nisi herbas aut legumina è domestico horto producta adijciebant. Oua vix Lupercalibus aliquot habuêre. In eiusmodi nihilominus rei familiaris angustia, augebatur in dies magis magisq; Caietani cõstantia. Nouerat enim Virtuti cibum esse ieiunium, & paupertatem. Posteà verò quam Veronæ aliquandiu mansit, redijt Venetias ad suam Tolentinatem Domum, quam Præpositi Titulo tres hos annos rexisse legitur. Cum Venetias igitur redijsset, puto (nisi me annorum supputatio fallit) patrasse eum tria illa quæ Pratus in suo testimonio narrat, Admiranda. Referam cum fide, & absque fuco verborum. Primum. Ad nobilem quandam mulierem, ex ægritudine morti iam proximam, & subsidijs omnibus destitutam Caietanus accurrit; consulit, vt sacrum liquorem qui è corpore S. Andreæ Apostoli promanat, delibet. facit illa; & subitò conualescit; atque post aliquot dies è lecto surgit. Hæc verò res diuinitùs

gesta, tametsi B. Andreæ meritis tribui debere videatur, à Caietani tamen virtute non est censenda aliena, quo consulente, orante, ac porrigente, eas guttulas illa hausit. nã & S. Thomas Aquinas (vt alia exempla referre supersedeam) per B. Agnetis reliquias, miracula nonnulla fecisse legitur, quę nihilominus inter ipsius gesta iure meritò recensentur. Alterum. Diaconum quendam è Nostratibus phrenesi apertaque dementia diu laborantem, Medici, cum nihil ceterâ curâ profecissent, jubent aëris mutationem experiri. Caietanus ægerrimè assentiebatur. nouerat enim quantum discriminis, atque incommodi ob id subire soleat Religiosa familia, imminuto scilicet per eiusmodi dimissiones Sodalium numero, & laboribus curisque in reliquos deriuatis. Accedebat tutius, secretiusque intra claustra contineri posse mentecaptum hominem: neque è re fore instituti nuper Ordinis Clericorum Regularium, prodire foras nostratem Diaconum, vulgi derididiculum & fabulam mox euasurum. Cum igitur, hinc ista rationum momenta, illinc medici, & spes salutis nonnulla quam ij fecerant, Caietanum premerent, ad solitum suum perfugium

vadens,

vadens, totam noctem DEVM orando & gemendo transegit, tanta constantia atque affectu, vt exaudiri meruerit. Itaque spe fideque plenus, Sodalibus, ipso audiente Prato, qui hæc retulit; Mihi ait, fratris istius salutem à Deo donatam, scio. Itaq; nihil opus est amplius, vt cœlũ aut domicilium mutet. Hæc porrò verba protulit, dum è sua cellula summo mane egrederetur, & antequam quicquam de salute clerici inaudire potuisset. Ita verò euenit, vt prædixerat; quippè eo ipso die ille conualuit, adeoque ad mentem plenè rediit, vt Sacerdotio postmodum fuerit initiatus. Tertium, dum Venetiis Neapolim nauigio peteret, contigisse opinor. Nam vti mox dicemus, Neapolim iterum reuersus est; electus scilicet, Anno M.DXLIII. Paulinæ Ædis Præpositus. Rem hanc mirificè gestam idem Pratus narrat, sed adeò summatim & strictim, vt si ego pluribus exponam, de meo adiecisse videri possim. Paucis itaque rem expediã. Obortã in Adriatico mari procellã, & magno impetu nauẽ, qua is aliiq; vehebãtur impetentem, atq; adeò iam iam submergentẽ, Caietanus fidei & precationũ cõfisus anchora, iacto in iratũ mare cereo Agniculo, extẽplò sedauit.

Hæc

Hæc ſunt quę Joannes Antonius Pratus octuagenario maior, anno M.D.XCVIII. Scripto teſtatus, publicis noſtri Ordinis monumentis inferri voluit. Certè Caietanus eiuſmodi fuit, vt credi de eo maiora his poſſint. Quinetiam ob egregiam viri ſanctitatem, & rerum geſtarũ magnitudinem à nonnullis quoque exteris, ſtatim poſt mortem priuato cultu quotidie honorari meruit. Et verò Lucretia Carafa, Antonius Caponius, medicus, & Raynerius Gualandus, ingenui ac probi homines, & quibus nullum ex mendacio pretium, narrabāt de eo viro mira, quæ temporum iniuria, & poſterorum in propagandâ laude maiorum indiligentia, perierunt. Rediit itaque Caietanus Neapolim Anno M.D.XLIII. ad finem Aprilis, comitantibus Marco & Gregorio Venetis Sacerdotibus. Sed hîc rurſus, Lector, ingentem quatuor annorum Lacunam in narratione iſta de vita Caietani facere cogor. Ab anno enim M. D. XLIII. vſque ad M. D. XLVII. nihil repperi de eo viro dictum aut ſcriptum. Huius verò anni, Maio menſe, Caietanus è Comitijs Romæ celebratis, Neapolim cum Præpoſiti titulo rediens vnà cum Petro *Veronenſe* Sacerdote, & Jacobo Clerico, per-

peruenit Atellam Campaniæ Vrbem, ipso peruigilio Dominicæ Ascensionis, diu post Solis occasum. Captus igitur desiderio persoluendi Solennes Matutinas preces, simul cum Paulinis Sodalibus, noluit Atellæ ea nocte diuersari; sed fessus licet longo itinere, Neapolim vsque ad multam noctem excurrit. Itaque eà ipsâ hora, qua domum S. Pauli ingressus est, viatoriis vestibus vix depositis, per summum silentium, Odæum rectâ adit, & ingenti cum alacritate ipse aliique diuinas laudes canunt. Quæ res quantam omnibus admirationem, lætitiam, & virtutis incitamẽtum attulerit, non est dictu facilè. Adeò magna est vis exemplorum. Contigit verò hoc anno, vt Neapolitani motus, iam antea ad finem superioris excitati, in magnum & exitiabile incendium exarserint. Breui rem digeram, ne quod copiosissimè alij narrant Historici, hoc ego loco cum tędio Lectorum repetere, & quod aiunt, actum agere videar. Cùm per Italiam Lutheri doctrina latiùs in dies serperet, probè Neapolitano Regno consultum iri arbitratus est Petrus Toletanus, Prorex, si ea ibi Hispanico more instituèretur in Hæreticos censura, quæ quòd seuerè in capita, fortunasque prauè sen-

tientium inquirat; Inquisitionis nomē sortita est. Eius consilii conscius & Laudator Joānes eius frater, Cardinalis Compostellanus, duos Inquisitores Dominicanos Roma miserat, qui diplomate Proregi ostenso, rem conficerent. Sed tantus ob id repentè tumultus excitatus est in Ciuitate, vt Prorex veritus ne si rem vrgeret, plebs Nobilitati reconciliata iunctis viribus in se Hispanosque irruerent, tecto lenibus verbis consilio, se mutasse sententiam ciuibus persuaserit. Interim per emissarios occultè animos Neapolitanorum pertentat. sed incassum ea industria abijt; nam crebrescentibus sermonibus, omnes propemodum, etiam ij qui pietatis fama inter eos excellebant, vnanimi consensu Inquisitionem execrati sunt, eoque perducta res, vt Vrbs tota ad extremum ferè exitium ruerit. Hinc enim Prorex auctus firmo Hispanorum militum præsidio, quos Cæsarianæ triremes Genuâ aduexerant, animos resumpsit. Illinc Neapolitani, ingentem exulum, & sicariorum turbam in Vrbem admiserunt, atque adeò omnia hostiliter agebantur. Quocirca plenæ tumultu & cædibus viæ, fora, atque ipsæ domus: eæ enim displosis tormentis diruebantur immaniter.

Porrò

Porrò Caietanus noſter hæc cernens, cùm primùm modis omnibus, quâ ſuadendo, quâ rogando, conatus eſſet exurgentem ſeditionem reprimere: mox ſuo fruſtratus voto ex angore animi atque ex vigilijs quas Deum noctu obſecrando, egerat, in febrem incidit. Non potuit enim ſuſtinere piiſſimus ſenex, & charitatis flamma vehementer incenſus tot ſcelera in dies patrari, tantam in Chriſtiana Vrbe ſtragem edi. Præ vehementi autem deſiderio extinguendæ turbulentiſſimæ ſeditionis, crebro, vel cum ægrotaret, illa Danielis prophetæ *q* verba in ore habebat. *Exaudi Domine: placare Domine; attende & fac: ne moreris propter temetipſum DEVS meus: quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper ciuitatem, & ſuper populum tuum.* Et quidẽ iam antea quam lecto decumberet, inſtituerat publicas Sanctorum Litanias, ad quarum finẽ hęc eadem Danielis verba, cũ alijs è ſacra ſcriptura excerptis, piiſſimè contexuerat. Ea nos habemus manu Joannis Marinonij exarata. Ingraueſcente febri Antonius Caponius Medicus Caietanum adit, rogatq; vt alterũ ſaltem aduocet ad ſe curandum Medicum. *Se ſe quidem nulli mortalium de beneuolentia in eum*

q Dan. cap. 9.

diligentiaq; concedere: at plura videre duos, quàm vnum. Itaque operæ pretium fore, vt alter accersatur, quocum, quæ facto opus sit, communicet. Caietanus ad hęc, *Nil opus est,* inquit, *mi Antoni, ad me pauperculum curandum, alterum adesse Medicum. Ea tu age, quæ ad rem vtilia videbuntur. Id certè satis erit.* Instat iterum Caponius, vt saltem super durum suum paleis infartum saccum, laneam culcitellam poni sineret, atque fractum senio & febre corpusculum ea mollitie aliquantulum solaretur. At ille, qui, vt in Cruce cum Christo vixerat, in cruce itidem decreuerat mori, sanctè subiratus Medico, Mihiné, ait, molliorem culcitram? In cinere & cilicio, in cinere & cilicio mori debeo & volo. Atque hæc verba sæpè ingeminans, in suo aspero & stramentitio lectulo, omni reiecta mollitudine constantissimè perstitit. Postquàm verò se iam morti proximum vidit, integris adhuc sensibus, Pœnitentiæ, & Diuinę Eucharistiæ, atque Extremæ denique Vnctionis Sacramenta poposcit. His ritè expiatus munitusque, & ęternæ beatitudinis desiderio magis quàm febre exæstuans, ad exuendam mortalitatem strenuè se comparat. Interea adstantibus Sodalibus, inter alia hæc dixit.

Arbitror,

Arbitror, fratres, nemini quod sciam, me unquam intulisse mali aliquid, aut molestiæ. Siquis tamen, me inscio, se læsum aut molestia mœroréue à me affectum, existimat, ecce ego veniam ab eo quisquis fuerit, demissißimè posco. Magnum sanè verbum, & simile prorsus illi, quod Moyses r & Samuel, s Israelitici Duces populi protulerunt. In hunc igitur modum Caietanus, charitate ditissimus, ad Christum, quem tantopere dilexerat, atque imitatus fuerat, emigrauit, VII. Idus Sextiles. M.D.XLVII. r Num. 16. s 1. Reg. 12.

Duo verò contigerunt in Orbe Christiano non multò post Caietani mortem, læta & fausta bonis omnibus, dura & exitialia improbis. Alterum: Neapolitani dissidij & tumultus sedatio, quæ à plerisque, merita Viri noscentibus, precibus Caietani iam in cœlum recepti fuisse à Deo obtenta, dicebatur. Alterum: Victoria Augustissimi Cæsaris Caroli V. de Saxoniæ Duce, quem Hippolytus Portius, Comes Vicētinus, Equestris Alę Ductor, è prelio euadentem primus omnium cœpit, & à Cæsare nobile præmium reportauit. Fuit autem inclytus iste Hippolytus, Caietani nostri gentilis, ex materna stirpe.

Memorabiles verò sunt Caietani sententiæ,

variis ab eo occasionibus dictæ aut scriptæ. Inter multas, quę interciderũt, has paucas repperi, quas, ne & ipsę intercidant, hoc loco ponẽdas duximus.

I. Diuinam Eucharistiam non esse sumendam vt Christus sese in nos commutet, sed vt nos in seipsum. hoc est, non eo scopo communicandum, vt Christus nostram faciat voluntatem, sed vt nos eius voluntatem sequamur atque exequamur.

II. Mundi delicias & voluptates, non esse aliud, nisi Dæmonum præstigia, quibus homines à se excantatos non replet aut nutrit, sed inflat solũmodo. Deum autem solum habere in sua potestate veras & solidas voluptates, quæ scilicet verè satient, & expleant humana corda.

III. Petro Veronensi conquerenti de Præpositura onere sibi impsito, cui non esset ferẽdo, Caietanus dixit: Vis Petre onus istud tibi subditisq; leuissimum reddere? Cura vt ameris cum Deo.

IV. Comitem Oppidanũ, famulis suis crebriusculè & ob leues causas (vt morosi senes faciunt) irascentẽ, his aliquando repressit. Dic mihi, quæso Comes, Esné tu adeò promptè Deo obediens, quemadmodum tibi homini ab hominibus vis obediri?

V. Bartholomæo Scayno sibi alioquin amicissimo, roganti

roganti vt filio suo, quem Judicem fieri cupiebat, apud quendam Procerem faueret, liberè respondit: Ut Judices populis dentur quibus iustitia per eos administretur, id quidem bonum est. at Religiosos viros immiscere se curis secularibus, & procurare vt quisquam Judex eligatur, id verò non est bonum.

VI. Elizabetha Thienæa fratris filia scripsit, Non secus homini Patria sua quæ cœlum est, oblito, accidere, atque Viatori, qui in Caupona sese inebriet, & vino madidus, viam quæ ad Patriam ducit, reperire non possit.

Hæc sunt, mi Lector, quæ de Caietano Thienæo narrãda & posteris transmittenda habuimus. Vt autem breuem corporis animiq; eius descriptionem, atq; adeo omnium quæ diximus veluti Compendium habeas, ponam postremo hoc loco Testimonium, quod Erasmus Danesius presbyter integerrimus, qui cum eo aliquandiu vixit, scriptum reliquit in hæc verba.

De Caietano hæc dico, fuisse eum, adeò venerabilem senem, vt planè verear an satis sim narrare eius Viri eximiam probitatem, ac virtutem. Extitit enim vita præstanti exemplo conspicua: in conuersatione humilis, mansuetus, modestus; pauci sermonis: Ex Italico.

In

In precationibus assiduus: erat enim cernere eum iugiter in Odæo persistentem fixis humi genibus, aut precarios globulos, vel libellum aliquem pium manu gerentem, meminiq; me sæpè vidisse illum inter precandū lacrymantem. Erat etiam cibi parcus; imò sæpißimè jeiunabat. Plura aduertere potuissem: sed tunc præ adolescentia his obseruandis non vacabam diligenter. Sermo grauis, deuotus, tunc maximè, cum inter refectionem, verba ad fratres faceret. In operis domesticis, laboribusq; primus omnium semper; verbi gratia, in mundandis lixiuio linteis, in euerrendis cubiculis, & tota domo, inq; alijs huiusmodi vilibus exercitijs. Noctu primus omnium ad vigilias excitabatur, primus ad Odæum descendebat: quo loco alacriter, ac meditatè, & cum decenti pausa Psalmi canebantur. Cum ei de more ante Sanctißimum Christi Corpus, aut alibi aliàs genu flectendum esset, profundè ad humum vsque demittebat genu. Persoluto Matutino precum officio, eodē quo psalluerat loco, genibus humi fixis, mente orabat ad horam vsque Sacrificij. Deinde animo demisso & humili, labeculas suas quotidianas confessus, religiosißimè sacrificabat, idque vt plurimum ad S. Andreæ, vel ad summam Aram, me verò vt patria Caietanum, & Nouitium, ad sibi

sacrum

Sacrum facienti administrandum frequenter adhibebat. Post hæc rursus ad Psalmodiā accurrebamus. Tum verò recitatis Prima, Tertia atq; Sexta, expletisq; Sacrificiis ad mensā accedebamus: ea frugalis & exigua, ex iis scilicet quæ mittebantur. Et sæpè contigit nihil nos in Cœnaculo reperisse nisi modicū panis frustum, & fortè aliquot mala Medica. Memini verò quadam die, nihil nos præter panem & quatuor recentes fabas habuisse. Interim tamen Dominus prouidebat, animum alicuius pij hominis mouens, vt quidpiam nobis mitteret. Quapropter Caietanus instituit, vt Benefactorum nomina publicè in Cœnaculo de superiore loco recitarentur. Plurimas præterea gratias ijs agebat. Deum semper laudans, quod vt nobis munifici essent, inspirasset: diligenterque nos omnes admonebat pijssimus Senex, vt Deum pro illis exoraremus. Vt paucis dicam, Caietanus erat vita prorsus irreprehensibili, castus, mansuetus, misericors. Erga ægrotos præsertim, magnam ostēdebat benignitatem. suis eos cibabat manibus. Marcum Pasqualinum graui & diutina valetudine laborantem eximijs charitatis officijs prosecutus est. atque adeò omnium ille salutem enixissimè procurauit.

Priuatim verò in suâ cellulâ summam pauperiem coluit. Culcitra stramentitia, paleis scilicet infarta, & semilacera. Puluillus item è paleis. Tabella vilis, & scabellulum. Pauci libelli; & sacra imago chartacea. His ille cubiculũ instruebat diuitiis. Vestes interiores, exterioresqúe è panno craßiore. Staturâ erat mediocri, neque pusillâ, neque valde procera, vultu ad rotunditatem vergente, sed aliquantulum macie extenuato, genis nonnihil rubentibus. Oculis atq; ore suauitatem benignitatemq́; spirabat. Barba attonsa & canescente. Comam vsque ad extremas aures promittebat, vt eorum temporum mos erat. Pileo primùm rotundo ad Venetorum morem, postea cruciato vsus est. Fateor, non posse me omnes eius Viri virtutes exæquare dicendo. Illud dixiße sat fuerit, pijßimum illum Sacerdotem floruiße eximia sanctitate, egregijsq́; virtutum ornamentis.

FINIS.

VITA BONIFACII A COLLE,

DE BONIFACIO A COLLE, Tertio noſtri Ordinis columine, ea quæ nobis vaſtatrix humanarum rerum vetuſtas pauca reliquit, pauca damus. Itaque breui finem habebit hæc ſcriptio: ſed vbi ſcribendi finis erit, inde principium ſumere Lector poterit, plurima quæ latēt arguendi. Nā qui ſemel atque iterum vitam ipſam contempſit, & diræ neci pro Chriſto expoſuit; huic quamnam minorum virtutum vnquam defuiſſe credendum eſt?

Natus eſt Alexandriæ Inſubrum, Collenſi proſapia, Maiorum imaginibus ſatis clara. Extat hodieque in primario eius Municipij Templo ſruſtum Sanctiſſimæ Crucis, cui Redemptor orbis Chriſtus affixus fuit: vna item è ſpinis, quæ caput eiuſdem (vt cum Tertulliano *a* dicam) lancinauerunt. Hanc ab eius gentis fortiſſimo quodam & pijſſimo Equite (nomen Annales non produnt) ab vſque Palæſtina, Alexandriam Italiæ vrbem fuiſſe aduectam, è veterum monumentorum fide

a lib. de Co:.mi-lit.

cōpertū est. Credibile porrò fuerit, aliquē Collēsis familiæ è Syriaco bello, ꝙ Haymericus Rex Hierosolymorū, ante cccc. annos, hoc est paullò post conditam Alexandriam, aduersus Saracænos prosperè gessit, reuersum in Italiam, eam Vrbem, quæ Alexandri III. Pontificis Maximi auspiciis, finitimarum ciuitatum conspiratione, & populorum vndique aduentantiū concursu in dies augebatur, sibi posterisq; suis patriam delegisse, hisque sacris donariis, quæ secum ex Oriente aduexerat, locupletasse. Meritò itaq; vnus è nobilibus Octouiris, qui Arcam, qua eiusmodi victricia Redemptoris instrumenta adseruantur, totidem clauibus obserant atq; reserant, perpetuâ lege è Collensi stirpe est. Pietatis igitur & fortitudinis præclaras imagines, ad quas sese identidem cōformaret, à suis Maioribus habuit Bonifacius. Postea vero natu grandior, ac Iurisprudentia, cui diu multumq; studuerat, probè excultus, Romā accessit. Ibi cum se Christianæ pietatis officiis addixisset, in media Aula, & forēsium caussarum strepitu (ꝙ est difficilimum) Diuinarum rerum contemplationi, & munificētiæ in pauperes sedulò vacabat; haud

haud ignarus, *hominem, qui in homine calamitoso est misericors, meminisse sui.* *b* Nulla etenim res coelum Deumq; promerendi maiorẽ vim habet, quã Charitas, atque in egenos miseratio. Adlectus deinde est in eorum numerum Virorum, qui, vt in Caietani vita dicebamus, Leone x. Sũmo Põtifice, Diuini amoris Sodalitium, Romæ certis legibus condiderant. Ex eo postmodũ, tanquã è Troiano equo digressus, Caietano Thienęo Clericorũ Regularium Ordinẽ ad Apostolicã formã instituere cogitãti, omnium primus adhæsit. Sed iã in Pauli & Caietani Vita multa narrauimus, quæ Bonifacio cũ aliis priscis nostris Patribus sunt cõmunia. Itaq; non est hic opus eadem repetere. Porrò illud hoc loco edisseram Christianæ constantiæ exemplũ, quod Vrbe à Barbaris, Duce Borbonio, occupata, Bonifacius fortissimè edidit. Irruperãt (vti iam dictum est) impij milites in Pincianam Ædiculam, qua Nostros degere inaudiuerant: stabãtq; ante Christi Aram xii. Viri, hoc est, vniuersus Ordo Clericorum Regularium, veluti duodecim ouiculæ, vt prædonum illorum sæuitiam in suas ceruices, pro CHRISTO, exciperent. Inter eos Bonifacius, vt erat graui vultu, & procera

b Publ. in Iambis.

ſpecie, iunctis ad pectus manibus inflexo capite, dejecto obtutu, fixis humi genibus, ſpectaculum ſe Deo, Angelis, hominibus exhibebat. Itaque is præ cæteris meruit, vnum è nefariis illis prouocare, vt experiri vellet, num in contemptu vitæ conſtantiam, quam totius oris corporiſque compoſitione præferebat, re ipſa tūc vel inter extrema diſcrimina tueretur. Vibrat igitur in eius ceruicē vi quanta potuit maxima latum gladium, cuius ictum neque declinauit, neque hilum ſe omninò mouit Bonifacius, ſed ſciens videnſque excepit quod rebatur lethale vulnus, impauidè. Verùm, vt ſenſit non ſe cæſim, ſed lato enſe percuſſum, tunc illum mœror, & quidam ob ictus vehementiam, atque ob naturalem mortis horrorem pauor dolorque inuaſit: aiuntque in omni poſtmodum vita, recenti memoria tenuiſſe, quantum exhorreſcentis naturæ affectio, quam antea prompta volūtate deuicerat, nihilominus poſt inanem illā mortis imaginem, non animum, ſed carnē, inſita quadam hebetudine perculerit. Neque certè eſt cur id cuiquam mirum videatur: legimus namque Christvm Jesvm, perfectiſſimum illud omnium virtutum exemplar, inter promptiſſimos ad

ſubeun-

ſubeundam mortem ſpiritus, ſenſiſſe tamen recuſantis naturæ tædium, mœroremque adeò validũ, vt membra, inuicto licet animo coniuncta, humi deijceret. Itaque *B*onifacius noſter & morti ſe obtulit volens, & præteriti periculi ſenſit præſentem pauorem nolẽs. Alterum autem aliquot poſt annos, pro Chriſto, vitæ diſcrimen ſubijt. Rem veterum relatu, ſic geſtam accepimus. Dum in Tolentinati domo Venetiis eſſet *B*onifacius, acceſſit forte ad eum feroculus quidam Sicarius, ex eorum numero hominum, qui cædibus patrandis gladiatoriam operam elocant. Is ſiuè tum primùm motus graui & benigna ſimul viri ſpecie, ſiuè quòd ei iampridẽ teterrima flagitia conſciẽtiã laniabant, petijt à *B*onifacio, vt confeſſionẽ ſuam ſecretò exciperet: ratus fortaſſe (quæ huiuſmodi hominum ſolet eſſe impudentia) vbi vtcunque recitaſſet ſua ſcelera, nihil ei prętereà pro Chriſtiani viri officio faciendum, ac facilè ſe quodcunque vellet obtenturum à miti ſene. Sed longè aliter res euenit: quippè non obſcuris indicijs agnouit Paſtor hædum ad ſe acceſſiſſe, non ouem. Itaque poſt audita eius facinora, cum fruſtrà monuiſſet, vt nefarium illud vitæ inſtitutum deſereret, liberrimè
abnuit

abnuit, absolutionem, homini, qui in prauũ adeò obduruerat, impertire; aitq; nihil aliud sibi illum inani eiusmodi absolutione acquisiturum, nisi vt arctiore deinceps vinculo teneretur à Satana. Ad hæc verba instare ille precibus primùm, & (quod rideas) pecuniam, vt quondam Simon ille impius, adpromittere. Sed vt se vidit cum vehementi obiurgatione reiectum, alia *Bonifacium* aggreditur via: atque euaginato pugione in eum furenti similis minatur irruere. Sed Leonem (vt verbum est) larua terrebat. extemplò enim strenuus Christi Sacerdos figit humi genua, atque ad Sicarij ictum (Lethalemnè dicam an vitalem?) promptissimè pectus exporrigit. O magnas veræ virtutis vires! Scelestus ille, vt vidit viri constantiam, & contẽptũ mortis, pudore ipse suffusus & victus est. Itaq; cõdito in vaginam pugione, se inde proripuit. Nõ ita multò postquàm hæc euenerant, digressus domo *Bonifacius*, fortè per viam repperit nobilem quendam Virum cum eo ipso, quem à se præteritis diebus dimiserat *Sicario*, colloquentem. Patritius ille *Venetus* vt vidit *Bonifacium*, statim, relicto *Sicario*, ad eum accurrit, apprehensamque

eius dexteram ad os ſuum reuerenter admouit, illius ſe orationibus impenſè commendans. Quod vt Sicarius vidit, rogauit Patritium, quiſnā is eſſet, quē adeò officiosè coleret. Eſt, inq̃t, ille, è Tolentinatibus Preſbyteris præſtanti Vir probitate Bonifacius nomine. Sicarius hæc audiens, narrat ipſe viciſſim omnia quæ ſibi cum eo Sacerdote, cuius nomen hactenus ignorabat, in cubiculo Portæ domus vicino, ante aliquot dies accidiſſent. Hoc itaque modo res deinceps, vt fit, in vulgus ſparſa, noſtrorum Patrum egregiam probitatem, in quo ijs Bonifacij præſertim ingentem conſtantiam celebriorem fecit. Dum autem ſummo cum populorum fructu Venetiis vitā ageret Bonifacius, ſcripſit ad Matthæum Gibertum Veronæ Epiſcopum inſignem Epiſtolam, qua illi eximio Præſuli, cupienti ſcire, an inſtitutum ꝙ Patres inierant proſperè cum Deo ſuccederet, compendiò ſapiēterque depingit noſtri Ordinis leges ritusque. Ponam hic ſolummodò poſtrema earum litterarū verba, de ſanctæ Charitatis obſeruatione è B. Auguſtini libro de moribus Eccleſiæ partim deſumpta. Sunt quidem memoratu digniſſima & ad viri Religioſi ſcopum probè collineant. Ideò quamuis

In precationibus aßiduus: erat enim cernere eum iugiter in Odæo persistentem fixis humi genibus, aut precarios globulos, vel libellum aliquem pium manu gerentem, meminiq; me sæpè vidisse illum inter precandū lacrymantem. Erat etiam cibi parcus; imò sæpißimè ieiunabat. Plura aduertere potuissem: sed tunc præ adolescentia his obseruandis non vacabam diligenter. Sermo grauis, deuotus, tunc maximè, cum inter refectionem, verba ad fratres faceret. In operis domesticis, laboribusq; primus omnium semper; verbi gratia, in mundandis lixiuio linteis, in euerrendis cubiculis, & tota domo, inq; alijs huiusmodi vilibus exercitijs. Noctu primus omnium ad vigilias excitabatur, primus ad Odæum descendebat: quo loco alacriter, ac meditatè, & cum decenti pausa Psalmi canebantur. Cum ei de more ante Sanctißimum Christi Corpus, aut alibi aliàs genu flectendum esset, profundè ad humum vsque demittebat genu. Persoluto Matutino precum officio, eodē quo psalluerat loco, genibus humi fixis, mente orabat ad horam vsque Sacrificij. Deinde animo demisso & humili, labeculas suas quotidianas confessus, religiosißimè sacrificabat, idque vt plurimum ad S. Andreæ, vel ad summam Aram. me verò vt patria Caietanum, & Nouitium, ad sibi sacrum

Sacrum facienti administrandum frequenter adhibebat. Post hæc rursus ad Psalmodiā accurrebamus. Tum verò recitatis Prima, Tertia atq; Sexta, expletisq; Sacrificiis ad mensā accedebamus. ea frugalis & exigua, ex iis scilicet quæ mittebantur. Et sæpè contigit nihil nos in Cœnaculo reperisse nisi modicū panis frustum, & fortè aliquot mala Medica. Memini verò quadam die, nihil nos præter panem & quatuor recentes fabas habuisse. Interim tamen Dominus prouidebat, animum alicuius pij hominis mouens, vt quidpiam nobis mitteret. Quapropter Caietanus instituit, vt Benefactorum nomina publicè in Cœnaculo de superiore loco recitarentur. Plurimas præterea gratias ijs agebat. Deum semper laudans, quod vt nobis munifici essent, inspirasset: diligenterque nos omnes admonebat pijssimus Senex, vt Deum pro illis exoraremus. Vt paucis dicam, Caietanus erat vita prorsus irreprehensibili, castus, mansuetus, misericors. Erga ægrotos præsertim, magnam ostēdebat benignitatem. suis eos cibabat manibus. Marcum Pasqualinum graui & diutina valetudine laborantem eximijs charitatis officijs prosecutus est. atque adeò omnium ille salutem enixissimè procurauit.

Priuatim verò in suâ cellulâ summam pauperiem coluit. Culcitra stramentitia, paleis scilicet infarta, & semilacera. Puluillus item è paleis. Tabella vilis, & scabellulum. Pauci libelli; & sacra imago chartacea. His ille cubiculũ instruebat diuitiis. Vestes interiores, exterioresqúe è panno crassiore. Staturâ erat mediocri, neque pusillâ, neque valde procera, vultu ad rotunditatem vergente, sed aliquantulum macie extenuato, genis nonnihil rubentibus. Oculis atq; ore suauitatem benignitatemq; spirabat. Barba attonsa & canescente. Comam vsque ad extremas aures promittebat, vt eorum temporum mos erat. Pileo primùm rotundo ad Venetorum morem, postea cruciato vsus est. Fateor, non posse me omnes eius Viri virtutes exæquare dicendo. Illud dixisse sat fuerit, pijssimum illum Sacerdotem floruisse eximia sanctitate, egregijsq; virtutum ornamentis.

FINIS.

VITA

VITA
BONIFACII A COLLE,

DE BONIFACIO A COLLE, Tertio noſtri Ordinis columine, ea quæ nobis vaſtatrix humanarum rerum vetuſtas pauca reliquit, pauca damus. Itaque breui finem habebit hæc ſcriptio: ſed vbi ſcribendi finis erit, inde principium ſumere Lector poterit, plurima quæ latẽt arguendi. Nã qui ſemel atque iterum vitam ipſam contempſit, & diræ neci pro Chriſto expoſuit, huic quamnam minorum virtutum vnquam defuiſſe credendum eſt?

Natus eſt Alexandriæ Inſubrum, Collenſi proſapia, Maiorum imaginibus ſatis clara. Extat hodieque in primario eius Municipij Templo fruſtum Sanctiſſimæ Crucis, cui Redemptor orbis Chriſtus affixus fuit: vna item è ſpinis, quæ caput eiuſdem (vt cum Tertulliano *a* dicam) lancinauerunt. Hanc ab eius gentis fortiſſimo quodam & pijſſimo Equite (nomen Annales non produnt) ab vſque Palæſtina, Alexandriam Italiæ vrbem fuiſſe aduectam, è veterum monumentorum fide

a lib. de Co:.mi-lit.

cōpertū est. Credibile porrò fuerit, aliquē Collēsis familiæ è Syriaco bello, quod Haymericus Rex Hierosolymorū, ante cccc. annos, hoc est paullò post conditam Alexandriam, aduersus Saracænos prosperè gessit, reuersum in Italiam, eam Vrbem, quæ Alexandri III. Pontificis Maximi auspiciis, finitimarum ciuitatum conspiratione, & populorum vndique aduentantiū concursu in dies augebatur, sibi posterisq; suis patriam delegisse, hisque sacris donariis, quæ secum ex Oriente aduexerat, locupletasse. Meritò itaq; vnus è nobilibus Octouiris, qui Arcam, qua eiusmodi victricia Redemptoris instrumenta adseruantur, totidem clauibus obserant atq; reserant, perpetuâ lege è Collensi stirpe est. Pietatis igitur & fortitudinis præclaras imagines, ad quas sese identidem cōformaret, à suis Maioribus habuit Bonifacius. Postea vero natu grandior, ac Iurisprudentia, cui diu multumq; studuerat, probè excultus, Romā accessit. Ibi cum se Christianæ pietatis officiis addixisset, in media Aula, & forēsium caussarum strepitu (quod est difficilimum) Diuinarum rerum contemplationi, & munificētiæ in pauperes sedulò vacabat;

haud

haud ignarus, *hominem, qui in homine calamitoso est misericors, meminisse sui.* b Nulla etenim res cœlum Deumq; promerendi maiorẽ vim habet, quã Charitas, atque in egenos miseratio. Adlectus deinde est in eorum numerum Virorum, qui, vt in Caietani vita dicebamus, Leone x. Sũmo Põtifice, Diuini amoris Sodalitium, Romæ certis legibus condiderant. Ex eo postmodũ, tanquã è Troiano equo digressus, Caietano Thieneo Clericorũ Regularium Ordinẽ ad Apostolicã formã instituere cogitãti, omnium primus adhæsit. Sed iã in Pauli & Caietani Vita multa narrauimus, quæ Bonifacio cũ aliis priscis nostris Patribus sunt cõmunia. Itaq; non est hic opus eadem repetere. Porrò illud hoc loco edisseram Christianæ constantiæ exemplũ, quod Vrbe à *Barbaris*, Duce *Borbonio*, occupata, *Bonifacius* fortissimè edidit. Irruperãt (vti iam dictum est) impij milites in Pincianam Ædiculam, qua Nostros degere inaudiuerant: stabãtq; ante Christi Aram xii. Viri, hoc est, vniuersus Ordo Clericorum Regularium, veluti duodecim ouiculæ, vt prædonum illorum sæuitiam in suas ceruices, pro CHRISTO, exciperent. Inter eos *Bonifacius*, vt erat graui vultu, & procera

b Publ. in Iambis.

ſpecie, iunctis ad pectus manibus inflexo capite, dejecto obtutu, fixis humi genibus, ſpectaculum ſe Deo, Angelis, hominibus exhibebat. Itaque is præ cæteris meruit, vnum è nefariis illis prouocare, vt experiri vellet, num in contemptu vitæ conſtantiam, quam totius oris corporiſque compoſitione præferebat, re ipſa tūc vel inter extrema diſcrimina tueretur. Vibrat igitur in eius ceruicē vi quanta potuit maxima latum gladium, cuius ictum neque declinauit, neque hilum ſe omninò mouit Bonifacius, ſed ſciens videnſque excepit quod rebatur lethale vulnus, impauidè. Verùm, vt ſenſit non ſe cæſim, ſed lato enſe percuſſum, tunc illum mœror, & quidam ob ictus vehementiam, atque ob naturalem mortis horrorem pauor dolorque inuaſit: aiuntque in omni poſtmodum vita, recenti memoria tenuiſſe, quantum exhorreſcentis naturæ affectio, quam antea prompta volūtate deuicerat, nihilominus poſt inanem illā mortis imaginem, non animum, ſed carnē, inſita quadam hebetudine perculerit. Neque certè eſt cur id cuiquam mirum videatur: legimus namque CHRISTVM JESVM, perfectiſſimum illud omnium virtutum exemplar, inter promptiſſimos ad

ſubeun-

ſubeundam mortem ſpiritus, ſenſiſſe tamen recuſantis naturæ tædium, mœroremque adeò validũ, vt membra, inuicto licet animo coniuncta, humi deijceret. Itaque *B*onifacius noſter & morti ſe obtulit volens, & præteriti periculi ſenſit præſentem pauorem nolẽs. Alterum autem aliquot poſt annos, pro Chriſto, vitæ diſcrimen ſubijt. Rem veterum relatu, ſic geſtam accepimus. Dum in Tolentinati domo Venetiis eſſet *B*onifacius, acceſſit forte ad eum feroculus quidam Sicarius, ex eorum numero hominum, qui cædibus patrandis gladiatoriam operam elocant. Is ſiuè tum primùm motus graui & benigna ſimul viri ſpecie, ſiuè quòd ei iampridẽ teterrima flagitia conſciẽtiã laniabant, petijt à *B*onifacio, vt confeſſionẽ ſuam ſecretò exciperet: ratus fortaſſe (quæ huiuſmodi hominum ſolet eſſe impudentia) vbi vtcunque recitaſſet ſua ſcelera, nihil ei prętereа pro Chriſtiani viri officio faciendum, ac facilè ſe quodcunque vellet obtenturum à miti ſene. Sed longè aliter res euenit: quippè non obſcuris indicijs agnouit Paſtor hædum ad ſe acceſſiſſe, non ouem. Itaque poſt audita eius facinora, cum fruſtrà monuiſſet, vt nefarium illud vitæ inſtitutum deſereret, liberrimè

abnuit

eius dexteram ad os suum reuerenter admouit, illius se orationibus impensè commendans. Quod vt Sicarius vidit, rogauit Patritium, quisnā is esset, quē adeò officiosè coleret. Est, inqt, ille, è Tolentinatibus Presbyteris præstanti Vir probitate Bonifacius nomine. Sicarius hæc audiens, narrat ipse. vicissim omnia quæ sibi cum eo Sacerdote, cuius nomen hactenus ignorabat, in cubiculo Portæ domus vicino, ante aliquot dies accidissent. Hoc itaque modo res deinceps, vt fit, in vulgus sparsa, nostrorum Patrum egregiam probitatem, in queijs Bonifacij præsertim ingentem constantiam celebriorem fecit. Dum autem summo cūm populorum fructu Venetiis vitā ageret Bonifacius, scripsit ad Matthæum Gibertum Veronæ Episcopum insignem Epistolam, qua illi eximio Præsuli, cupienti scire, an institutum quod Patres inierant prosperè cum Deo succederet, compendiò sapiēterque depingit nostri Ordinis leges ritusque. Ponam hic solummodò postrema earum litterarū verba, de sanctæ Charitatis obseruatione è B. Augustini libro de moribus Ecclesiæ partim desumpta. Sunt quidem memoratu dignissima & ad viri Religiosi scopum probè collineant. Ideò quamuis

hæc ipsa in Notis ad Constitutiones exscripserim, hoc tamen loco repetere non grauabor. *Qui veniet*, inquit, *& viderit, intelliget etiã id quod est omnium maximum atq; vtilissimũ, videlicet Votorum vim atq; vouentiũ finem ob quem in nomine Domini nostri Iesu Christi in vnum congregati sumus; docebiturq; per experientiam quotidie verbum Domini, eiusque virtutem dicentis, Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me, ingrediens per angustam portam, ambulansq; per luctum pœnitentiæ, donec perueniat ad sinum Latissimæ Charitatis: iudicabitq; vana esse omnia, etiam apud eos qui sæculo renuntiauerunt, nisi concupiscentiæ perdomandæ, & charitati fratrum inuigilet omni industria. Quæ Charitas, vt Beatus Augustinus ait, tunc pcipuè custoditur, si charitati victus, charitati sermo, charitati vultus aptetur. Addamus nos; si charitati vota, si charitati professio, si charitati religio vniuersa deseruiat; si hanc solam violare, tamquam Deum, nefas ducamus, scientes hanc ita commendatã à Christo, & ab Apostolis, vt si hæc absit, vt dixi, inania, si hæc adsit, plena sint omnia. Quæ dicenda supersunt, longè melius visu & verbo, quàm scripto percipies.* Hæc ille, puto eo anno, quo Gibertus cathenis solu-

tus

tus, quibus in clade *Borbonica* diu detentus in *Vrbe* fuerat ad Ecclesiam suam *Veronensem* reuerti, & in transitu Nostros Patres *Venetiis* reuisere meditabatur. Adeò autem hæc quæ de Charitatis scopo *Bonifacius* scripsit, vera sunt, vt si veterum sanctorum Patrũ de *Viri* religiosi perfectione monumenta euoluantur, vtique hæc ipsa, fusius, pressius, ab iis dicta comperiemus. Mitto alios: certè feruidissimus ille Ephræmus *Basilio* Magno æqualis & amicus, cum sententiam illam protulit, ἡ ἀγάπη καὶ ἐγκράτεια ψυχὴν καθαρίζουσιν, id est, *Charitas & tẽperantia purificant animã*, nihil sibi aliud voluisse videtur. Porrò ea epistola vehementer Gibertũ mouit, vt quod antea semper optauerat, nostri instituti aliquot Veronę domiciliũ figerẽt: quibuscũ etsi vitam Regularem vnâ agere pro Episcopali munere, quo distinebatur, planè non posset, communicaret interdum saltem suos æstus sollicitudinesq́;, quę eum in regenda Diœcesi perturbatissimis illis tẽporibus excruciabant, atque eorundẽ exemplo operâque *Veronenses* populi ad sectãda *Virtutum* studia excitarentur. Nouerat .n. quantum emolumenti ea regio superiore anno per vnũ Carafa Episcopũ, raptim licet lustrata, perceperit.

multò post Æde atque Vrbe cessère Patres, quòd popularia ludicra & profanas saltationes ante Templi fores festis diebus solita exerceri; ac proinde incõditos clamores, & promiscuę plebeculę iurgia inde prouenietia, q̃ ipsi quietis cupidi reprimere nõ poterant, excessu vitare maluerint, q̃ cum Ordinis sui atq; Sacri loci dedecore insueta atq; indigna pati. Itaq; anni curriculo vix veronę exacto, *V*enetias ad vnũ oẽs repetiuère, Giberto Episcopo qui eos sua auctoritate, atq; beneuolentia retinere potuisset forte per id tẽpus *V*eronâ absente. Ostẽdunt hodieq; *V*eronenses Nazaręnas illas cellulas, quas prisci nostri incoluerunt Patres. Cæterùm *B*onifacius paullò postquã reuersus est, *S*odalibus suis Tolentinatis Domus magna omnium gratulatione præficitur; eamque dignitatem cum eximia innocentiæ, probæque rectionis laude complures annos obiuit. scilicet expressit in Magistratu eas virtutes, quibus diuinitus imbutus iã olim fuerat. præcipuè verò mira erat in eo vis orationis, contemplationisque rerum cœlestium; quæ sanctam viri mentem, etiam inter medias negotiorũ molestias, fluctusque saburrabat. *V*num semper eundemque gerebat vultum, hoc est, serenum, pla-

que adeò vt intuentes exhilararet. Paupertatem perpetuò seruauit tam rigidè, vt in eius cellula nihil vidisses, nisi stramineum lectulum, paucos libellos, & scabellum rude, quo rarò etiam vtebatur; nam consueuerat ad lectuli spondam genubus flexis incumbere, & sic maiorem diei partem vel orando, vel legendo transigere. Eximia præditus charitate, durissima etiam peccatorum corda, scelera sua illi fatentium lacrymans ipse atque singultiens, ad lacrymas ac seriam pœnitudinem non rarò traduxit. Tantopere autem religiosæ vitæ quietem adamauit, vt nulla dignitatis aut cõmodi pollicitatione, ne Summi quidem Pontificis hortatu è sua cellula se extrahi passus fuerit. adeò Gregoriana illa sententia vera est; c *Mundana omnia desipere cui Deus sapit.* Res ad hunc modum se habuit. Paulus IV. qui Viri singularem probitatẽ diutinæ consuetudinis experimento pernouerat, non diu postquam Sedem conscendit Apostolicam, Bonifacij sui desiderio captus est. Mandauit itaque Michaëli à Turre, Cenetensi Episcopo, Venetijs, Romam reuersuro, vt Bonifacium suo nomine adiret, eumque si is ita vellet, secum Romam commodè duceret, polliceretur que in Pontificis Palatium

c lib. 4 Moral.

tium

tium honorificè exceptũ iri, quòd cuperet Christi Vicarius, cum illo (hæc ipsa Pauli verba fuêre) *vel vnicũ panẽ partiri*, hoc est, ad instar charissimi fratris habere. Ad hæc *B*onifacius, nihil ob tã honorificam supremi mortaliũ elatus voluntatem, modestè liberéq; respondit; *immortales se quidẽ Sãctissimo Patri agere gratias, cui in tãta accessione fortunæ & dignitatis ipse humillimæ sortis homo in mentẽ redierit; de adeunda tamen Vrbe, rogare eum etiã atque etiã, ne se cogeret, vt è Claustro Religioso, in quod se spõte iã olim incluserat, nũc effœtus senio, & sepulchro potius q̃ honorib. aptus, exiret.* Hac itaq; munitus constãtia aduersus mũdi illecebras, in Tolẽtinati Domo ꝗ reliquũ fuit vitæ placidissimè transegit. Deniq; an. Christi M.D.LVIII. III. Nonas Sextileis, hoc est, nõ diu postq̃ adeò fortiter sapiẽterq; cellulam Palatio prætulerat, spe bona plenus è mortalib. ad superos euolauit: Ita.n. credere fas est de piissimo sene, [a] *qui vna cũ canicie profundissimã innocentiã, simplicitatẽq; sapientiæ plenissimã cõiunxit.* libenter mutuor hoc loco è Climaco verba, quippè *B*onifacius noster de illis senib. fuit, e q. vt idẽ ait, [b] *extrinsecꝰ quidẽ toti mites, placidi, blãdi, læti, nihil fictũ, nihil negligẽs, nihil adulterinũ in suis verbis aut morib. habẽt,* (rem

a Clima. Grad. 4.

b Eodẽ loco.

(rem quidem quæ in paucis inuenitur) interius verò animo Deum ipsum ac Prælatum, infantum in morem ambiunt, mentisq; aciem aduersus Dæmones & vitia audacem firmißimamq; intendunt. Porrò pauca hæc sunt, quæ de tanto Viro diximus; fateor. Sed illud Philosophicum effatum huc mihi liceat inflectere: *Maxima pars eorum quæ* de *Bonifacio scimus, est minima pars eorum quæ ignoramus.*

FINIS.

VITA

VITA
PAVLI CONSILIARII.

CONSILIARIAM Stirpem, eandem prorsus esse atque Ghisleriam, post habitam de hac re Pio Quinto è Ghisleria gente Summo, Optimoque Pontifice diligentissimam perquisitionẽ, notius est, quàm vt mihi pluribus nunc opus sit exponere. Ex ea Paulus Romæ ortus inter æquales sui temporis adeò emicuit sinceritate animi, modestia, grauitate, in rebus gerendis dexteritate, solertia, prudentia, vt omnibus charus gratusq; accederet. In primis autem se in Joannis Petri Carafæ amicitiam insinuauit, quæ morum similitudine mirè coaluit. quippe seueriori ille ingenio fuit, iste amœno magis ac facili; at par propemodum vtrique morum probitas, & (quod gluten amoris est) eadem fermè indoles ac voluntas. Quocirca alterum ab altero rarò seiunctum reperisses. neque enim sine suo Consiliario Carafa aut Sodalitium Diuini amoris, aut Clericorum Regularium Ordinem inijt: immò & Cardinalis, & summus Pontifex cũ eo vixit, quoad ille vixit. Multa Consilia-

ſpecie, iunctis ad pectus manibus inflexo capite, dejecto obtutu, fixis humi genibus, ſpectaculum ſe Deo, Angelis, hominibus exhibebat. Itaque is præ cæteris meruit, vnum è nefariis illis prouocare, vt experiri vellet, num in contemptu vitæ conſtantiam, quam totius oris corporiſque compoſitione præferebat, re ipſa tũc vel inter extrema diſcrimina tueretur. Vibrat igitur in eius ceruicẽ vi quanta potuit maxima latum gladium, cuius ictum neque declinauit, neque hilum ſe omninò mouit Bonifacius, ſed ſciens videnſque excepit quod rebatur lethale vulnus, impauidè. Verùm, vt ſenſit non ſe cæſim, ſed lato enſe percuſſum, tunc illum mœror, & quidam ob ictus vehementiam, atque ob naturalem mortis horrorem pauor dolorque inuaſit: aiuntque in omni poſtmodum vita, recenti memoria tenuiſſe, quantum exhorreſcentis naturæ affectio, quam antea prompta volũtate deuicerat, nihilominus poſt inanem illã mortis imaginem, non animum, ſed carnẽ, inſita quadam hebetudine perculerit. Neque certè eſt cur id cuiquam mirum videatur: legimus namque Christvm Jesvm, perfectiſſimum illud omnium virtutum exemplar, inter promptiſſimos ad

ſubeun-

ſubeundam mortem ſpiritus, ſenſiſſe tamen recuſantis naturæ tædium, mœroremque adeò validũ, vt membra, inuicto licet animo coniuncta, humi deijceret. Itaque Bonifacius noſter & morti ſe obtulit volens, & præteriti periculi ſenſit præſentem pauorem nolẽs. Alterum autem aliquot poſt annos, pro Chriſto, vitæ diſcrimen ſubijt. Rem veterum relatu, ſic geſtam accepimus. Dum in Tolentinati domo Venetiis eſſet Bonifacius, acceſſit forte ad eum feroculus quidam Sicarius, ex eorum numero hominum, qui cædibus patrandis gladiatoriam operam elocant. Is ſiuè tum primùm motus graui & benigna ſimul viri ſpecie, ſiuè quòd ei iampridẽ teterrima flagitia conſciẽtiã laniabant, petijt à Bonifacio, vt confeſſionẽ ſuam ſecretò exciperet: ratus fortaſſe (quæ huiuſmodi hominum ſolet eſſe impudentia) vbi vtcunque recitaſſet ſua ſcelera, nihil ei præterea pro Chriſtiani viri officio faciendum, ac facilè ſe quodcunque vellet obtenturum à miti ſene. Sed longè aliter res euenit: quippè non obſcuris indicijs agnouit Paſtor hædum ad ſe acceſſiſſe, non ouem. Itaque poſt audita eius facinora, cum fruſtrà monuiſſet, vt nefarium illud vitæ inſtitutum deſereret, liberrimè

abnuit

eius dexteram ad os suum reuerenter admouit, illius se orationibus impensè commendans. Quod vt Sicarius vidit, rogauit Patritium, quisnā is esset, quē adeò officiosè coleret. Est, inq̄t, ille, è Tolentinatibus Presbyteris præstanti Vir probitate Bonifacius nomine. Sicarius hæc audiens, narrat ipse vicissim omnia quæ sibi cum eo Sacerdote, cuius nomen hactenus ignorabat, in cubiculo Portæ domus vicino, ante aliquot dies accidissent. Hoc itaque modo res deinceps, vt fit, in vulgus sparsa, nostrorum Patrum egregiam probitatem, inque ijs Bonifacij præsertim ingentem constantiam celebriorem fecit. Dum autem summo cum populorum fructu Venetiis vitā ageret Bonifacius, scripsit ad Matthæum Gibertum Veronæ Episcopum insignem Epistolam, qua illi eximio Præsuli, cupienti scire, an institutum ꝙ Patres inierant prosperè cum Deo succederet, compendiò sapiēterque depingit nostri Ordinis leges ritusque. Ponam hic solummodò postrema earum litterarū verba, de sanctæ Charitatis obseruatione è B. Augustini libro de moribus Ecclesiæ partim desumpta. Sunt quidem memoratu dignissima & ad viri Religiosi scopum probè collineant. Ideò quamuis

hæc ipsa in Notis ad Constitutiones exscripserim, hoc tamen loco repetere non grauabor. *Qui veniet,* inquit, *& viderit, intelliget etiã id quod est omnium maximum atq; vtilißimũ, videlicet Votorum vim atq; vouentiũ finem ob quem in nomine Domini nostri Iesu Christi in vnum congregati sumus; docebiturq; per experientiam quotidie verbum Domini, eiusque virtutem dicentis, Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me, ingrediens per angustam portam, ambulansq; per luctum pœnitentiæ, donec perueniat ad sinum Latißimæ Charitatis: iudicabitq; vana esse omnia, etiam apud eos qui sæculo renuntiauerunt, nisi concupiscentiæ perdomandæ, & charitati fratrum inuigilet omni industria. Quæ Charitas, vt Beatus Augustinus ait, tunc pcipuè custoditur, si charitati victus, charitati sermo, charitati vultus aptetur. Addamus nos; si charitati vota, si charitati profeßio, si charitati religio vniuersa deseruiat; si hanc solam violare, tamquam Deum, nefas ducamus, scientes hanc ita commendatã à Christo, & ab Apostolis, vt si hæc absit, vt dixi, inania, si hæc adsit, plena sint omnia. Quæ dicenda supersunt, longè melius visu & verbo, quàm scripto percipies.* Hæc ille, puto eo anno, quo Gibertus cathenis solu-

tus

tus, quibus in clade *Borbonica* diu detentus in *Vrbe* fuerat ad Ecclesiam suam *Veronensem* reuerti, & in transitu Nostros Patres *Venetiis* reuisere meditabatur. Adeò autem hæc quæ de Charitatis scopo *Bonifacius* scripsit, vera sunt, vt si veterum sanctorum Patrũ de *Viri* religiosi perfectione monumenta euoluantur, vtique hæc ipsa, fusius, pressius, ab iis dicta comperiemus. Mitto alios: certè feruidissimus ille Ephræmus *Basilio* Magno æqualis & amicus, cum sententiam illam protulit, ἡ ἀγάπη ϗ ἐγκράτεια ψυχὴν καθαρίζουσιν, id est, *Charitas & tẽperantia purificant animã*, nihil sibi aliud voluisse videtur. Porrò ea epistola vehementer Gibertũ mouit, vt quod antea semper optauerat, nostri instituti aliquot veronę domiciliũ figerẽt: quibuscũ etsi vitam Regularem vnà agere pro Episcopali munere, quo distinebatur, planè non posset, communicaret interdum saltem suos æstus sollicitudinesq;, quę eum in regenda Diœcesi perturbatissimis illis tẽporibus excruciabant, atque eorundẽ exemplo operâque *Veronenses* populi ad sectãda *Virtutum* studia excitarentur. Nouerat .n. quantum emolumenti ea regio superiore anno per vnũ Carafa Episcopũ, raptim licet lustrata, perceperit.

multò post Æde atque Vrbe cessère Patres, quòd popularia ludicra & profanas saltationes ante Templi fores festis diebus solita exerceri; ac proinde incõditos clamores, & promiscuę plebeculę iurgia inde proueniẽtia, q̃ ipsi quietis cupidi reprimere nõ poterant, excessũ vitare maluerint, q̃ cum Ordinis sui atq; Sacri loci dedecore insueta atq; indigna pati. Itaq; anni curriculo vix Veronę exacto, Venetias ad vnũ oẽs repetiuère, Giberto Episcopo qui eos sua auctoritate, atq; beneuolentia retinere potuisset forte per id tẽpus Veronâ absente. Ostẽdunt hodieq; Veronenses Nazarenas illas cellulas, quas prisci nostri incoluerunt Patres. Cæterùm Bonifacius paullò postquã reuersus est, Sodalibus suis Tolentinatis Domus magna omnium gratulatione præficitur; eamque dignitatem cum eximia innocentiæ, probæque rectionis laude complures annos obiuit. scilicet expressit in Magistratu eas virtutes, quibus diuinitus imbutus iã olim fuerat. præcipuè verò mira erat in eo vis orationis, contemplationisque rerum cœlestium; quæ sanctam viri mentem, etiam inter medias negotiorũ molestias, fluctusque saburrabat. Vnum semper eundemque gerebat vultum, hoc est, serenum, pla-

que adeò vt intuentes exhilararet. Paupertatem perpetuò seruauit tam rigidè, vt in eius cellula nihil vidisses, nisi stramineum lectulum, paucos libellos, & scabellum rude, quo rarò etiam vtebatur; nam consueuerat ad lectuli spondam genubus flexis incumbere, & sic maiorem diei partem vel orando, vel legendo transigere. Eximia præditus charitate, durissima etiam peccatorum corda, scelera sua illi fatentium lacrymans ipse atque singultiens, ad lacrymas ac seriam pœnitudinem non rarò traduxit. Tantopere autem religiosæ vitæ quietem adamauit, vt nulla dignitatis aut cõmodi pollicitatione, ne Summi quidem Pontificis hortatu è sua cellula se extrahi passus fuerit. adeò Gregoriana illa sententia vera est; c *Mundana omnia desipere cui Deus sapit*. Res ad hunc modum se habuit. Paulus IV. qui Viri singularem probitatẽ diutinæ consuetudinis experimento pernouerat, non diu postquam Sedem conscendit Apostolicam, Bonifacij sui desiderio captus est. Mandauit itaque Michaëli à Turre, Cenetensi Episcopo, Venetijs, Romam reuersuro, vt Bonifacium suo nomine adiret, eumque si is ita vellet, secum Romam commodè duceret, polliceretur que in Pontificis Palatium

c lib. 1. Moral.

tium honorificè exceptũ iri, quòd cuperet Christi Vicarius, cum illo (hæc ipsa Pauli verba fuêre) *vel vnicũ panẽ partiri*, hoc est, ad instar charissimi fratris habere. Ad hæc *B*onifacius, nihil ob tã honorificam supremi mortaliũ elatus voluntatem, modestè libereq; respondit; *immortales se quidẽ Sãctissimo Patri agere gratias, cui in tãta accessione fortunæ & dignitatis ipse humillimæ sortis homo in mentẽ redierit; de adeunda tamen Urbe, rogare eum etiã atque etiã, ne se cogeret, vt è Claustro Religioso, in quod se spõte iã olim incluserat, nũc effœtus senio, & sepulchro potius q̃ honorib. aptus, exiret.* Hac itaq; munitus cõstãtia aduersus mũdi illecebras, in Tolẽtinati Domo quod reliquũ fuit vitæ placidissimè transegit. Deniq; an. Christi M.D.LVIII. III. Nonas Sextileis, hoc est, nõ diu postq̃ adeò fortiter sapiẽterq; cellulam Palatio prætulerat, spe bona plenus è mortalib. ad superos euolauit: Ita .n. credere fas est de piissimo sene, d *qui vna cũ canicie profundissimã innocentiã, simplicitatẽq; sapientiæ plenissimã cõiunxit.* libenter mutuor hoc loco è Climaco verba, quippè *B*onifacius noster de illis senib. fuit, e q vt idẽ ait, *extrinsecus quidẽ toti mites, placidi, blãdi, læti, nihil fictũ, nihil negligẽs, nihil adulterinũ in suis verbis aut morib. habẽt,* d Clima. Grad. 4. e Eodẽ loco.

(rem

VITA
PAVLI CONSILIARII.

CONSILIARIAM Stirpem, eandem prorſus eſſe atque Ghiſleriam, poſt habitam de hac re Pio Quinto è Ghiſleria gente Summo, Optimoque Pontifice diligentiſſimam perquiſitionẽ, notius eſt, quàm vt mihi pluribus nunc opus ſit exponere. Ex ea Paulus Romæ ortus inter æquales ſui temporis adeò emicuit ſinceritate animi, modeſtia, grauitate, in rebus gerendis dexteritate, ſolertia, prudentia, vt omnibus charus gratuſq; accederet. In primis autem ſe in Joannis Petri Caraſæ amicitiam inſinuauit, quæ morum ſimilitudine mirè coaluit. quippe ſeueriori ille ingenio fuit, iſte amœno magis ac facili; at par propemodum vtrique morum probitas, & (quod gluten amoris eſt) eadem fermè indoles ac voluntas. Quocirca alterum ab altero raro ſeiunctum reperiſſes. neque enim ſine ſuo Conſiliario Carafa aut Sodalitium Diuini amoris, aut Clericorum Regularium Ordinem inijt: immò & Cardinalis, & ſummus Pontifex cũ eo vixit, quoad ille vixit. Multa Conſilia-

rio contigêre aduersa, ab eo vt alibi à me dictum est, vnâ cum Sodalibus cæteris fortiter superata, q̃, ne sim fastidio hoc loco non repetam. Multa itẽ egregia patrasse haud dubito, ob exitiabilem nostrarum rerum neglectum non cognita posteris. Quæ de eo tamen graues viri constanter adserunt, ista sunt propemodum. Redijt Romã anno superioris sæculi XXXVI. vnâ cum Episcopo Theatino & Bonifacio à Colle ad celebranda de more Comitia, quæ Romæ non Venetiis eo anno celebrare coacti sunt, quòd per id tempus Pavlvs III. Pont. Max. Patribus Romam accersitis, Carafam quamuis planè repugnantem, ob eximia Viri merita Cardinalem creare designasset. Cum autem Decembri mense, id quod pridem animo destinauerat Farnesius Pontifex præstitisset, omnium nostrorum Patrum concessu atque consensu, Pavlvs ad Cardinalis solatium Romæ relinquitur, ne videlicet Præsul ille grauissimus Religiosi Sodalis charo alloquio, & veteris amici consuetudine atque ope destitueretur. Cæteri Patres in suam quisque domum abeunt, in quam illos Comitia destinauerant, nempè Bonifacius à Colle, & Michael Mazzalorsus Venetias;

Caie-

Caietanus verò Thienæus, Petrus Veronensis, & Nicolaus Venetus, Neapolim. Cardinalis igitur Theatinus Paulũ Consiliariũ adeptus, in quẽ grauissimarũ rerũ pondus identidẽ nonnulla ex parte deponeret, non clientis loco, sed contubernalis fratrisq; vt antea, deinceps habuit. cibũ cum eo sumere; virtutũ exercitia vnâ obire; lęta, tristia, domestica, forẽsia cũ suo Paulo partiri; nihil propemodũ eo inconsulto facere. Erat quippè Paulus non admodum quidẽ excultus litteris, sed ijs abundè p̃ditus iudicij ac prudentiæ notis, vt penè plus illi tribuisse Natura videretur, quã aliis plerisq; quęsita labore scientia. Vt hinc vel maximè pateat verũ dixisse Stoicum illum Philosophum, a *Paucis opus est ad bonã mentẽ litteris: quippè non faciunt bonos istæ, sed doctos: apertior aũt res est sapere, imò simplicior.* a Senec. ep. 106.
Itaq; Paulũ nostrũ non apprimè doctũ haud equidẽ diffiteor; sed eximiè prudentẽ & probũ, nemo certè diffitebitur, qui eum nouerit, probus. Fidẽ, quæ mox dicemus, equidẽ spero, faciẽt. Anno Salutis M. D. LV. auctus est ea dignitate ac potestate Carafa, quę in terris est maxima; auxit & ipse Paulum, atque augere in dies magis magisque voluit. Primùm nãq; intimi cubiculi Præfectũ esse iussit.

mox vnâ cum Antonio Carafa gentili suo (quem postea Pius V.P.M. meritissima purpura decorauit) Vaticanæ Ædis Canonicum fecit, vt ijs gradibus ad sacri Galeri fastigiũ ritè disponeret. Quod vt aduertit Cõsiliarius, cupiens statuensq; amplissimam dignitatem dexterè à se auertere, Summo Pontifici sibi aliquando inter familiarem sermonem de se in Sacrum Senatum adsciscendo significanti; *Ne me, inquit, B.P. quæso te etiam atque etiam, ad onus supra vires, ad honorem longè supra meritum attollas, in hac præsertim iam deuexa ætate, & quietis amante. Scis me, quicquid sim hominis, tuum fuisse semper & fore. Quòd è cellula in Palatium extuleris nihil nostri indigus, tuæ prorsus benignitatis id fuit. Quòd in Vaticanam Sacrosanctam Ædem honestissimo decoratum titulo me intuleris, quanquam nescio quid collapsi diuini cultus per me inibi reparari posse prætexebas, intelligo tamen celsissimum tuum istum animum nouam benefaciendi reperisse rationem, nam, ne gratias tibi agere debere videãtur ij quos benefactis cumulas, promeritos, & publico Ecclesiæ bono te euexisse asseris, qui nullum in seipsis, aut certè impar beneficio meritum cernunt. Equidem, quòd ad me attinet, quicquid Apostolicæ illi Basilicæ con-*

contuli, quod impensè tibi gratũ esse significas, facis tu quidem vti soles, ex abundantia quadam amoris, vt etiam grata sint ea quæ prætermitti sine culpa non possunt. cæterum, vt nunc me præterea multò sublimius euehas, patere B. P. vt Tibi vna hac in re modò renitar. Plura de me nihil opus est addere; nosti probè hominem. Si est Tibi cordi, pro tua eximia liberalitate atque humanitate, è nostra stirpe aliquem exornare purpura, habes alterum me quem exornes, Joannem Baptistam videlicet fratrẽ meum, qui me probitate & eruditione longo interuallo superat, inq; rebus gerẽdis insigni solertia, &, quod caput est, in Te atque in Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, constanti fide nulli mortalium concedit. Hac ratione B. P. & me lateri tuo, vt hactenus, semper affixum, & fratrẽ meũ, istius Sanctissimæ Sedis fidum perpetuumq; administrum habere vnà poteris. Dum hæc Consiliarius appositissimè diceret, Pontifex delectatus sincera viri mente, atque in detrectanda Purpura nequaquam ficta constantia, haud multò pòst vtrumq; egregiè præstitit. Nam & Joannem Baptistam Consiliarium, Cardinalem fecit, & PAVLVM nostrum in intimis deinceps habere perrexit.

Adeò autem amicè cum ipso agebat Pontifex,

vt, memorando posteris exemplo, illum ipsum vnicum panem, qui sibi ad mensam apponebatur, suis Pontifex manibus medium cultello secaret, atque Consiliario suo per summum honorem ipse præberet, iuberetq; vt de suę ipsius mensæ cibis, diuerso tamen cubiculo, vesceretur. Recordabatur enim eximius ille virtutis cultor, religiosæ sodalitatis, quam cum illo iampridem inierat. neq; ei aut Summi Sacerdotij infulæ, aut rerum maximarum, quæ assiduè corde voluebat, pondera, pristinæ necessitudinis blanditias animo excusserant. Hæc pauca habui, quæ de Vita Pauli Consiliarij, nostri Ordinis quarti Conditoris, scriberem; plura proculdubio scripturus, si plura aut litteris, aut memoriæ veterum commendata comperissem. Nunc de obitu eius istæc Lector accipe. Erat Pavlvs diuino cultui, & Vaticanæ præsertim Basilicæ nitori impēsè addictus. Quocirca nemo per ea tempora illo vigilantior, aut sacrorum rituum obseruantior fuit. Primus ingredi Odæum, postremus egredi, tam studiosè atque assiduè, vt ob frigidissimam Vaticani coeli, atque Templi qualitatem mox tussim molestissimam incurrrerit: ob quam, cum nequaquam tamen ab Odęo discede-

ret,

ret, rupta pectoris vena, post quadraginta dies, moritur. Antequam autem, expiraret, matrē, quæ filii obitum effli ctim lamentabatur, his verbis solari conatus est. *Tempera te, quæso, à Lacrymis, mater: mortalem me genuisti; & lubens morior quia beatā immortalitatem per Dei gratiam spero. Equidē, quod hactenus nulli hominum dixi, tibi, extrema hac hora celare non debeo: Deo tutante, virginitatem illæsam seruaui ad hanc vsque diem. Itaque quemadmodum ex vtero tuo egressus sum, ita sepulchrum ingrediar. Confido Redemptori meo, cuius donum est quicquid nobis inest boni, suscepturum se hanc animam, quam ipse à carnis labe seruauit immunem, & condonaturū insuper, quæ aliis modis innumera commisi peccata.* His dictis, paulò post, placidè in Domino obdormiuit, xviii. Kal. Maias Anni M. D. LVII. cùm eum antè, Pontifex Maximus non semel amantissimè inuisisset.

FINIS.

Laus Deo, & Deiparæ Virgini MARIÆ.

APPROBATIO.

ISTAS, quatuor Virorum eximij exempli Vitas, nihil continere, quod Catholicam fidem lædat: & laude ac luce dignissimas esse iudico,

Vitus Haldhelmius S. Theol. D.

